

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

### XVIII. Alter.

[1] 55 regula. *Alter* nomen est indiuiduum, et *altera*, *alterum* facit, et in genitio *alterius*, semper correpta penultima, ut quod temporibus minuit, syllabis augeat, et in hoc nomini *alius* est contrarium, quod uel apud metricos semper producit penultimam, ut suppleat in tempore quod deficit in syllaba, sed antiqui *alteri*, *alterae*, *alteri* in genitio, datiuo uero, *-ae*, *-o* protulerunt. Vnde Ioelis capitulo I, post principio (*Joel* 1, 3) sic habitur: «Similiter filiis uestris narrate, et filii uestri filiis suis, et filii eorum generationi alterae». De his per *Catholicon* in *alius* et *alter*, et per Priscianum in VI, VII et XIII, et supra libro 2<sup>o</sup>, § *Hanc secundam pronominum declinationem dixi*. (2) Festus Pompeius ait (Fest. 6): «*Alter* et pro non bono ponitur, ut in auguriis *altera* cum apellatur *auis*, quae utique prospera non est. Sic *alter* non nunquam pro *aduerso* ponitur et *malis*. «*Altera* ponebant pro eo quod est aduerbium *aliàs* (Fest 27)». «*Altercatio* est iurgatio. *Alternatio* per uices successio». *Alternatim* per uices. Quadrigarius in *Annalibus*, libro III<sup>o</sup> (fr. 50):

"Inter gaudium atque aegritudinem alternatim sequi".

*Alterplicem*, duplicem. *Alterta*, alterutra». Nonius Marcellus (Non. 470): «*Altercator*, *aris* passium est, Pacuuius in *Illiona* (210):

"Cur illa mecum hic altercatata est".»

(3) *Catholicon* in V parte: «*Alterco*, *-as* et *altercor*, *-aris* ab *alter*, litigare, certare, et utrunque componitur *coalterco* et *coaltercor*, nam *-n-* de *con* propter uocalem sequentem subtrahitur, ut in *cohabito*, *coeo*. *Alteritas*, *-atis* ab *alter*, *alteri* *-tas* addita, uicissitudo est. *Alternus*, *-a*, *-um* ab *alter*, id est uicissitudinarius, unde *alternus* et *alterne* et *alternatim* aduerbium, id est mutare. *Alternatim dicere* uel *facere*, dissonare non nunquam significat. *Altero*, *-as*, *-aui*, *-atum* uerbum actiuum est, ab *alter*, est uariare, alterum facere, inde *alteratus*, id est uariatus, quod est nomen simplex, ab *alter* deriuatum esse potest. *Alteruter* de *alter* et *uter* compositum iste uel ille uel uterque uel ambo dicit; inde *alterutrum* aduerbium. id est mutuo. Vnde in epistula Iacobis (*Jac.* 5, 16): "Confitemini alterutrum peccata uestra". (4) Et quare *altertutra*, *alterutrum* et in genitio *alterutrius* faciat, supra in 3 regula scripsi plenissime (4, 5, 1). Haec in Papiam et *Compraensorio* confirmantur. (5) Laurentius Vallensis et ego post eum, libro 3<sup>o</sup>, capitulo LXIII<sup>o</sup>, attestamus *alter* de duobus, *alius* de multis dici omnibus esse manifestum, licet non nulli, ut Macrobius, Suetonius, Plinius sunt abusi. Item *alius* id est diuersus, et *alter* proprie ad unum de duobus dicitur, ut *alter oculus*, *altera auris*, *altera manus*. (6) Insuper pro secundo ex duobus pluribusque assumitur, ut *unus*, *alter*, *tertius*, *quartus*, Cicero *Ad Herennium* libro III<sup>o</sup> (4, 11): «Figurae orationis sunt tres, quas alii genera nominauerunt, in quibus omnis oratio non uiciosa conuenitur, unam grauem, altera mediocrem, tertiam extenuatam uocamus.» Non nunquam pro duobus, ut *unus aut alter*, id est aut duo; *unus et alter*, id est unus et duo. Supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Quoniam satis et plusquam satis* plenius disserui (cf. supra 2, 3, 1; 2, 45, 1; 4, 5, 1; 4, 5, 4; Valla, *Eleg.* 3, 59; Prisc. 7, 79; 13, 8).

### XIX. Vter, uterque.

[1] 56 regula. *Vter*, *utra*, *utrum* genitio *utrius*, ab *utor*, *eris* dicitur, et *quis* significat, sed proprie dicitur de duobus disiunctiue, *quis* de pluribus quam duobus. Itaque *uter* de duobus tantum diuidue interrogationem facit, ut *uter istorum legit?* *Quis* quoque de duobus dicitur, sed non ita proprie, ut *uter*, sed *uter* de duobus tantum †† et quodlibet ab *uter* compositum de duobus quoque tantummodo dicitur. (2) *Vter*, *utris*, hi *utres*, *utrum*, *utribus*, generis masculini, uas est uinari, dicitur ab *uterus*, quia aliquid intrinsecus habeat, ut membra et uiscera, sicut uenter, uel quia, sicut uenter, amplius et inflatus sit, et proprie de corio *utres* sunt, sed *uter* pro uase uinario, licet ab *uterus* primam correptam habente ueniat, producitur. *Vter*, *utra*, *utrum*, licet deriuetur ab *utor* primam corripit, ut in X<sup>o</sup> *Doctrinale* dicit (10, 1.973).

[2] *Vterque*, *utraque*, *utrunque* de *uter* et *que* componitur uel *que* syllabica est adiectio, et in genitio *utriusque* et in datiuo *utrique* facit, et iste et ille uel unus alterque significat. Vnde *utrinque* aduerbium, id est ex utraque parte. Vnde Ezechielis XL capitulo (*Ez.* 40, 12): «Finis utrinque» secundum unam lecturam, ubi Gregorius exponitur (?): «*Vtrinque*, ac si diceret *utrorunque*». Et de *utrinque* in alteros et inter

se ††. (2) Sciendum autem quod *utraque*, ut *pleraque*, penultimam acuit propter suorum masculinorum neutrorumque consortium, in quibus penultima necessario acuitur, quod et supra, in 3<sup>a</sup> regula dictum est. *Vterus*, *uteri* mulieris uenter, in quo concipit, scilicet conceptionis locus, ab *uter* dictus, quia duplex est, et ab utraque parte se in duas partes diuidit, quae in diuersum diffuse ac replexe circumplicantur. Vel dicitur *uterus* quia interius repleatur fetu. *Vterinus* ab *uterus* dicitur, penultima producta, et uterini sunt, qui ex eodem utero sunt progressi, licet ex diuersis patribus procreentur. In his *Catholicon* et *Compraensorium* auctoritatem praestant. (3) Priscianus autem dicit in V<sup>o</sup>, ubi de figura tractat: «*Vter* uero et *uterque* diuersas significationes habent: *uter* enim diuiduam uim habet, *uterque* collectiuam. *Vbi* diuiduam, *ubique* collectiuam.» ††. Nonius (183, 188): «*Vtraque* pro *utrinque* uel *utrosque* poni reperitur. *Vter* pro *utera*, Caecilius in *Vmbris* (94-95):

"Nunc uter

crescit, non potest celari".

*Vterus* est mulierum secundum Seruium (*Aen.* 2, 20) †† (cf. supra 4, 5, 4; Prisc. 5, 59).

## XX. Neuter.

[1] 57. *Neuter*, *neutra*, *neutrum* ex *ne* et *uter* componitur, genitiuo *neutrius*, datiuo *neutri*, et hoc secundum antiquissimos secundum nos et secundum Priscianum antiquissimos, nam *neutri*, *-ae*, *-i*, *neutro* *-ae*, *neutro* secundum usum frequentiore facit, ut Priscianus testatur in VI, post principium, ubi plene de *alteruter* disputat, etiamque XIII<sup>o</sup>, licet dicat *Catholicon* quod antiqui dicerent *neuter*, *-a*, *-um*, genitiuo *neutri*, *-a*, *-tri*, datiuo *neutro*, *-ae*, *neutra*. Vnde adhuc dicitur *cuius generis? neutri*. Hic enim *neutri* casus genitiui est, et nec iste nec ille nullusque significat, et has 56 et 57 regulas *Catholicon* *Compraensoriumque* confirmant, et haec auctoritate Prisciani in V, VI, VII et XIII<sup>o</sup>, supra, libro II<sup>o</sup>, § *Hanc secundam pronominum declinationem*, declarauit (cf. supra 2, 3, 1; Prisc. 6, 4; 13, 11).

[2] 58. *Neutrum* nihil aliud dici debet, nisi quod nec masculinum nec feminum sit, et quantum ad uocem spectat, *neutrum* nomen est uel participium, neutrale autem uerbum, neutralia dicuntur, ut *iaceo*, *sedeo*. Dicuntur autem neutralia, non quod actionem aut passionem non significant, sed quod utranque non importent, ut *ambulo* actionem, *rubeo* passionem. *Neutrum* in *-o* desinit, ut actiuum, sed ex se passiuum non facit. Hoc *Compraensorium* disserit. Sed et *neuterpassiuus*, *a*, *um* et *neutropassiuus*, *a*, *um* ex obliquo rectoque compositum reperitur. (2) Verba neutropassiuia sub actiua uoce passionem illatam significant, et sunt quattuor: *exulo*, *uapulo*, *ueneo*, *fit*. Neutropassiuia passiuus sunt similia, cum enim praeteritis careant, eorumque suppletionem passiuarum instar per participium et uerbum substantiuum habent. Et sunt quinque: *audeo*, *soleo*, *fido*, *gaudeo*, *fia*. Vel eo neutropassiuia nominantur, quod in praeteritis perfectis et plusquamperfectis et in formatis ab eis passiuorum litteraturam; in reliquis uero neutrorum tenent. (3) Priscianus de his uerbis in VIII<sup>o</sup> (8, 61) tractat, inter anormalia subiiciens: «Antiquissimi solebant horum praeteritum perfectum proferre: *gaudeo*, *gauri*, *audeo* *ausi*, *soleo* *solui*, *fido* *fisi*, *fit* *fii*, sed nunc his non utimur» Petrus Heliae hoc confirmans adiciit (Reilly 475): «Licet *prandeo* faciat *pransus sum*, et *cenatus sum*, non sunt neutropassiuia, quia habent praeteritum in actiua litteratura, scilicet *prandi* et *cenauit*». (4) Priscianus quoque in eodem VIII<sup>o</sup> (8, 11), de genere siue uerbi significatione tractans, et uerborum neutrorum species disserens, *facio* inter neutra ponit, rationemque subiungit: «Quia sunt quaedam uoce actiua, quae ex se passiuia non faciunt, quae generali uoce neutralia uocamus, ex quibus quaedam uim habent actiuam, ut est *faciote*, quamuis *faciatur* quoque a *facio* pro *fit* protulerunt auctores, *facessitur* quoque Cicero *Pro Clientio* (*Cluent.* 57). (5) Bene ergo in plerisque compositum actiuum est: *perficio* et *perficior*, *conficio* et *conficior*, *afficio* et *afficior*, *efficio* et *efficior*. Sic paene omnia quae cum praepositionibus componuntur. Nam *calefacio* et *tepefacio* et similia *calefio* et *tepefio* loco passiuorum habent. *Fitur* etiam pro *fit* dicebant. Similiter actiuam significationem habent *officio tibi*, *noceo tibi*». (6) De hoc etiam 2<sup>o</sup> minoris exponit (Prisc. 18, 138). Idem in XI<sup>o</sup>, carta VI (11, 28), de significationibus participiorum docens: «His quandoque neutropassiuus tria dat participia praesentis et praeteriti in *rusque* futuri, ut *audens*, *ausus* et *ausurus*, *fiens*, *factus* et *futurus*» Priscianus idem quattuor praedicta neutropassiuia in 8<sup>o</sup> (8, 12) commemorans, adicit: «*Nubo tibi*, quamuis antiquissimi actiua significatione *nubo te* dicebant». (7) Petrus Heliae super II<sup>o</sup> maioris ait (Reilly 132): «*Vendo* ex *uenum* et *do*, uendere nanque dicitur quasi uenum dare. *Veneo* quoque *uenii* dant, compositum esse a *uenum* et *eo*, *is*, sed in tractatu uerbi dicit Priscianus (1, 29) quod *uenum*, *-nu* supina sunt huius uerbi, ideo uidetur uelle, quod uerbum simplex sit, non compositum». Idem Petrus Heliae in 8<sup>o</sup> dicit (Reilly 475): «*Vapulo*, id est uerberor, inuenitur tamen

*uapulo te* id est uerbero. *Exulo* uerum compositum ab *ex* et *solo*. *Veneo*, id est uendor, et facit praeteritum *uenii*, supina *uenum*, *ueni*, et uidetur deriuatum a *uenum* non quod suum supinum est, sed a nomine *hoc uenum huius ueni*, quod apud antiquos idem erat quod *uenale*. (8) De hoc *Doctrinale* in VI<sup>o</sup> canit capitulo (6, 976-79):

«Audeo cum *soleo*, *fido* quoque *gaudeo*, *fio*

Quinque, puer, numero neutropassiuu tibi do.

*Exulo*, *uapulo*, *ueneo*, *fi*, quattuor ista

Sensum passiuu sub uoce gerunt aliena».

(9) *Catholicon* in III parte, in capitulo de genere uerborum (3, 40), ubi septem genera uerborum ponit: actiuum, passiuum, neutrum, neutropassiuum, neutrupassiuum, commune et deponens. Et in V parte simul cum *Compraesorio* in neutropassiuu et neutrupassiuum, et in *ueneo*, *is* dicit: «*Veneo*, *is*, *ueniui* uel *uenii* per sincopam, *uenire* id est uendi facit. Vnde *Ad Corinthios* in prima epistula, capitulo X, dicit apostolus (*Cor.* 10, 25): "Omne quod uenit in macello" -id est uenditur- "manducam tecum". Et est uerbum neutrupassiuum, sicut *uapulo*, *exulo* et *nubo*, quia neutri uocem et passiuu significationem habet, ut *ueneo a te* id est uendor, et a *uenum*, ni simplici pro re uenali, uel uenditione, et *eo* componitur. Primaque *ueneo*, ut *uenum*, producit, sed *uenio* corripitur. Vnde

"Quidam

Laetus scurra uenit, sua cantio cum bene uenit"».

(10) Et in X<sup>o</sup>, Prisciano teste (10, 54): «*Veneo* secundum analogiam *uenitum*, -tu deberet facere, sed *uenum*, -nu magis est in usu. Cum enim uelut a *ueni* et *eo*, *is* compositum *ueni*, -ui faciat in praeterito, -ui in -tum mutata, *uenitum* ut *audio*, *audiui*, *auditum*, facere debuisset». Multaque ex his referendo confirmat *Compraesorium*. (11) Quod autem et *nubo* neutrupassiuum sit habendum, non modo Priscianus in 8<sup>o</sup> (8, 12), sed et in *nubo Catholicon Compraesoriumque* testantur: «*Nubo*, -is -inquiunt- *nupsi*, *nuptum* olim pro maritare actiuum erat. Vnde Matheus XXII<sup>o</sup> (*Math.* 22, 30): "Neque nubent neque nubentur", sed modo neutrum passiuum est, et proprie ad mulieres spectant, ut *nubo tibi*, id est maritor tibi, et *ducor a te in nuptam*. Item *nubere* est tegere, et ab hac significatione prima tracta est, quia cum feminae nubuntur, primum capita teguntur earum». (12) Ad haec facit quae Nicokus Perottus in uerbis neutris ordines octauu dicit (fol. h3u.): «Quae sunt uerba neutra octauu ordinis? Quae neutropassiuu dicuntur, quod in uoce actiuu instar passiuorum construitur, ut *discipulus uapulat a praeceptore*. Et sunt quinque: *exulo*, *uapulo*, *liceo*, *ueneo*, *nubo*. *Exulo* ab *ex solo* et *eo* componitur. *Exulo* nanque est *ex solo eo*, hoc est *extra solum eo*. Sunt enim exules qui natali solo priuantur, qui dicuntur etiam *extorres*, quasi extra terram suam euntes. Dicitur autem *exulare de loco* et *in loco*, ut Donatus affirmat (*Gramm.* 2, 12), ut *nos exulamus Roma et exulamus Viterbii*, id est *extorres Roma habitamus Viterbii*, qui locus exilii nobis assignatus est. (13) Componitur *connubi*, id est simul *nubo*, *innubo*, id est ualde uel intus *nubo*, *pronubo* ante *nubo*, *obnubo* tego et operio. *Nubo*, ut ad feminas pertinet cum omnibus suis compositis est neutrum, sed pro tegere actiuum est. *Nubo* eiusque composita, licet -u- ante -b- in primis syllabis breuietur, primam producunt. *Innuba* et *pronuba* demimus, quae corripiunt et *connubium* per omnes casus praeterquam in hac terminatione *connubia*. (14) Seruius primo dicit *Aeneidos*, ibi (*Aen.* 1, 73):

«Connubio iungam stabili»,

-nu- breuem posuit, cum naturaliter longa sit. *Nubo* enim, unde habet originem, longa est, sed est tropus systole, qui fit quotiens longa corripitur syllaba propter metris necessitatem. Ipse alio loco longam posuit, ut est (*Verg. Aen.* 3, 320):

«Hectoris Andromache? Pirrhi connubia seruas?».

Item (*Aen.* 4, 213)

«Cuique loci leges dedimus connubia nostra»,

et (*Aen.* 4, 535)

«Numadamque petam connubia supplex».

Sciendum tamen est quod plerumque in compositione uel deriuatione principalitatis natura corumpitur. Idem in IIII<sup>o</sup> (*Serv. Aen.* 4, 213-14) dicit: «*Connubio*, -nu- naturaliter longa est, ab eo quod *nubere* aut

"Connubia nostra

reppulsit",

sed modo metri causa corripuit. (15) *Doctrinale* dicit in X<sup>o</sup> (10, 1.937-40):

«Ante -b- fit breuis -u-, testis *ruber* est *rubeusque*

Excipies *tuber*, *rubigo*, *suber* et *uber*

Et *pubis, pubes* Et si *-b-* peruenit aut *-n-*  
*Innuba* corripies et *pronuba* siue *bubulcus*  
*Nubo* tamen longa, *connubia* ceu *metra* poscunt».

(16) Aegidius in libro *De accentu* capitulo XXV, *Doctrinale* confirmat, et adiicit: «De *pubes pubus* id est porcus depilatus, penultima producta uenit». Et *haec pubes, -is*, lanugo inferior; unde etiam *hic et haec pubeta*, id est iuuenis, unde *pubesco, -cis*, id est crescere». (17) *Catholicon pubus* non ponit sed *pubeta* communis generis, id est adolescens, *puber* et *pubeda, -ae* in eodem sensu, et *pubeta, -as*, et *pubido, -as*, id est *pubere* uel *puberare*. Et a *pubes, hic et haec puber* uel *pubes* uel *pubis*, genitio *puberis*, id est puer iam habens uel emittens pubem, ut qui iam generare potest. Hic a XIII annis incipit, sed femina a XII, citra uiripotens. Quidam puberem ex annis dici uolunt, ut qui XIII annos expleuerit, quamuis pubescat rarissime. Constat autem puberem esse, qui ex corporis habitu pubertatem ostendit et iam generari possit. (18) Vnde Isidorus in suis *Ethimologis* (11, 2) ait: «*Puberes a pubet* sunt uocati, id est a prudentia corporis nuncupati, quia haec loca primum lanuginem ducunt. Quidam tamen ex annis pubertatem existimant, id est eum esse puberem qui XIII annos impleuerit, quamuis tardissime pubescat. Certum est autem eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit et generare iam potest. Et *puerperae* sunt qui in annis puerilibus pariunt». Hoc transumptiue habetur in *C., Puberes de despon. impub.*, et ibi glosa ordinaria, Innocentius, Hostiensis, Ioannis Andreae, Ioannis de Linyana, Compostelanus, Henricus, dominus Antonius, dominus Car., dominus Abbas et Iacobus de Soccis. (19) Itaque et secundum Hugutionem *Catholiconque puber a pube*, id est a pudendis corporis dicitur, quippe cum haec loca prius emittant lanuginem. Et *puber* uel *pubes pubisue* componitur, ut *hic et haec impuber* uel *impubes* uel *impubis*, genitio *impuberis*, id est puer, qui nondum pubem habet. (20) Priscianus uero in VI<sup>o</sup> (6, 65), ubi de *is* et *er*, sic eleganter ait: «Praeterea *Caesar* declinat *pubis, puberis*; quidam, ut *Probus, pubes, puberis*; quidam *puber, -eris*. Ex hoc tamen compositum inuenitur similem habens nominatiuum genitio, *hic impubis, huius impubis* Virgilius in V<sup>o</sup> (*Aen.* 5, 546):

"Impubis Iuli";

Ab eo neutrum *impube* Oracius protulit in *Epodo* (5, 11-12):

"Vt haec trementi quaestu fore  
constituit puer impube corpus"».

Petrus Heliae dicit in V<sup>o</sup>, circa finem (Reilly 424): «*Pubes* cum significat multitudinem iuuenum aut lanuginem, facit *pubis* genitiuum. Cum uero aetatem, *puberis*» (21) *Catholicon* tamen et *Compraensorium* scribunt: «*Pubes a pupus, haec pubus, pubis* aetas pueri iam XIII annorum, et iuuenum talium collectio, et prima barba, scilicet lanugo. Et proprie pars inferior, scilicet *pecten*. Vnde et *pubes* dicitur, quasi pudendorum nubes. Inde *pubio, -es, -ui*, id est crescere, barbescere, pubem emittere. Inde *pubesco* inchoatiuum, barbescere, crescere uel *pubere*, id est in tali aetate esse, talem aetatem ducere uel habere. Et componitur *impubeo, -es, suppubeo, -es* Vnde *impubesco* et *suppubesco* inchoatiuum, *-puque* producit». (22) Et hoc potius quam Petri Heliae dictum tenendum esse putarem. Auctores enim, Prisciano teste, in maioris prohemio (Prisc. 1, 1): «Quanto sunt iuniores, tanto perspicaciores et ingeniis floruisse et diligentia ualuisse omnium iudicio confirmatur eruditissimorum». Quam praeclaram sententiam Accursium in *l. Gallus, in prin., ff. De liber. et posth.* (D. 28, 2, 29), commemorat. (23) Festus (Fest. 219) quoque Pompeius antedictis auctoritatem praestans inquit: «*Pubes* adolescens quin etiam plurimum numerus eiusdem aetatis». «*Pubes*, puer qui iam generare potest, is incipit esse ab annis XIII, femina uiripotens ad XII». Seruius (*Aen.* 5, 546) etiam subiicit: «*Pube praesente est populo praesente*, ab his qui puberes sunt, omnem populum significans».

[3] 59. *Neutrobi* ex *neuter* et *ibi* componitur, id est in neutra parte neutroque loco, quod et *neutrolibet* et *neutrobique* dicitur. Plautus (*Aul.* 223):

«Neutrobique habeo stabile stabulum»,

*Catholicon* et *Compraensorium* hoc confirmant.

## XXI. Totus.

[1] 60 regula est: *Totus a tot* dicitur *totus, -a, -um, totius toti*, et pertinet ad magnitudinem, ut *totus homo*, id est quaelibet pars hominis, ut *omnem* ad multitudinem, ut *omnis homo*. Item *omnis* in diuersis partibus, *totus* sine partibus debet esse, ut si *totus homo dicatur*, ad animam et corpus et caput ceteraque membra refertur; *omnis homo* ad indiuidia, ut *Petrus, Martinus, Ioannes* et ceteri; *cunctus* uero ad utrumque

spectat, ut *cuntus populus*. *Cunctus* enim *-a, -um* dicitur a *cuneus*, quod est in unum collecta militum uel peditum multitudo, dictus a *coeo*, quia in unum coeant uel congregentur omnes. (2) *Cuneus* etiam dicitur quoddam instrumentum ligneum ad findenda ligna et ad firmandum stilum in aliquo ferramento uel aliqua re, cum in summitate coeat uel sui interpositione diuersa coire uel coartari faciat, ad cuius similitudinem cuneum in expeditione dici debent. (3) *Cunctus* igitur a *cuneus* uel a *coeo* dicitur, et est uniuersus et uniuersa in unum multitudo collecta. *Cuncti* quidem omnes simul coniuncti et simul facientes quippiam uocitantur. Alioquin *omnes* appellantur et non *cuncti*, et per *-u-* scribi debet. Nam *contus, -ti* per *-o-* sine *-c-* a *conus* quod teligenus est, et proprie quod ferrum non habet, sed est longum acuta cuspidem, sicut pertica peracuta, quam portant rustici loco hastae. (4) Vnde in II<sup>o</sup> *De consolatione* Boetius (22, 5): «Tu, qui nunc contum gladiumque pertimescis sollicitus, si uitae huius callem uacuus uiator incresses, coram latrone cantares». (5) *Contus* etiam dicitur instrumentum quocum uomines piscantur uel contantur aquam pisces inquirendo. Vnde *contor, -aris* deponens, et est *conto* quid perquirere uel scrutari, et pro interrogare et inuestigare ponitur, et *percontor, -aris* compositum est etiam perquirere, interrogare et inquirere, et per *-o-* quoque scribitur, sed *cunctor* per *-unc-* est morari dubitareque, unde quidam *contor, perquiro, cunctor dubito moror*que. Item a *cunctus haec cuncta est*, id est mora, prospicito, cuncta tacitus, quod quisque loquatur. (6) Dicit *Catholicon* in 4: «Nec accusatiui casus esse potest, tunc enim incongrua esset locutio, et sensus talis est, prospicito tacitus id, quod quisque loquatur, *prospicito* dico *cuncta*, id est per cunctam, hoc est moram antequam respondeas, ut quod dicitur intelligas, nam qui prius respondet quam audiat stultum se esse demonstrat, etiamque confusione dignum. Inde quidam ait *prospicito cuncta*, si uis bene dicere *cuncta*. (7) Et a *cuncta cunctatim* aduerbium, id est dubitanter et moranter uel id est sine modo. *Cunctipotens* est deus cuncta potens, et omnis generis, ut *cunctitenens* esse potest, penultimaque corripitur. Et a *cuncta uel cunctus cunctor, -aris*, id est dubitare uel morari, qui enim uniuersa uidere uel numerare sat agit, eum morari dubitareque oportet, et *cunctor* cum omnibus suis compositis per *-u-* scribitur, ut *contor* per *-o-*, ut ad hoc *Catholicon* et *Compraensorium* in testes adduci possunt. (8) Quod etiam Festi Pompeii (Fest. 35) auctoritate confirmatur, sic dicentis: «*Cunctans*, ualidus, magnus, grauis. *Cuncti* significat quidem omnes, sed coniuncti et agregati. At uero omnes etiam si diuersis locis sint», sed ut aperte inter *omnis* et *totus* intelligatur differentia, *totus* rem nominis cui adiungitur, sed nullam eius partem comprehendit, ut *totus Socrates*, id est Socrates et quaelibet eius pars. *Omnis* uero quamlibet nominis rem, cui adiungitur; *toque* producitur, et a *totus, totalis, -le* et a *totali totalitas*, ut haec quoque *Catholicon* et *Compraensorium*, asseuerant. (9) Ad hoc confirmandum Cicero *Ad Herennium* circa libri primi finem (1, 26) facit: «Reperta iudicatione omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit». Idem in prohemio secundi dicit: «Deinde docuimus iudicationem quemadmodum quaeri conueniret. Qua inuenta curandarum est, ut omnis ratio totius orationis ad eam conferatur.» (10) Sciendum autem *omne* pro *totus* et econtrarium quandoque poni, ut apud poetas inuenitur. Ideo Seruius III<sup>o</sup> scribit *Aeneidos*, ibi (*Aen.* 4, 122): «"Omne ciebo" pro *totum*. *Omne* enim numeri est, *totum* quantitatis est». Intellige tamen quantitatis, scilicet continue et non discrete, ut numerus, ut de hac duplici specie in praedicamento quantitatis ab Aristotele Petroque Hispano exponitur, et supra, in 8 regula huius libri recitatur (cf. supra 4, 8, 1). (11) Vel dici potest quod per id quod dicitur *omne* numeri est, *totum* in quantitate intelligitur, quod est, cum uniuersale uniuersaliter sumitur, ut *omnis homo, nullus homo*. Per *totum quantitatis est, totum* integrale debet accipi, quod est compositum ex partibus quantitatem habentibus, et pars eius pars dicitur integralis, ut *homo totum integrale est*. Partes uero hominis integrales sunt caput, manus pedesque. (12) Item *domus totum integrale est*; partes uero eius sunt parietes, tectum et etiam fundamentum, ut Petrus Hispanus in suis *Topicis* (140b20) explicat, § *Totum integrale est*. Dicit enim ibi: «*Totum integrale est, quod est compositum ex partibus habentibus quantitatem, et pars eius dicitur pars integralis*». Et infra: «*Totum in quantitate est, cum uniuersale sumitur uniuersaliter, ut omnis homo, nullus homo*» (13) Illud autem praetermittendum non est, *omnes* etiam de duobus dici, ut *l. Paterfa., ff., De her. insti.* (D. 28, 5, 44), supra in 39 regula allegata reperitur (cf. supra 4, 14, 2). Et Labeo apud Pomponium in *l. Hoc articulo, ff., eo. ti.* (D. 28, 5, 29), scribit hoc modo: «Hoc articulo quisque omnes significantur, et ideo Labeo scripsit: "Si ita scriptum sit Ticius et quanta quisque eorum ex parte me heredem scripserit, heres mihi sto, nisi omnis habeant scriptum heredem testatorem, neutrum heredem esse posse, quoniam ad omnium tractu sermo refertur, in quo puto testatoris mentem respiciendam. Sed humanus est eum quidem qui testatorem suum heredem scripserit, in tantam partem heredem fore. Qui autem eum non scripserit nec ad hereditatem eius admitti"», et nota hic quisque de duobus dici.

## XXII. De quis uel qui compositisque syllabicisque adiectionibus.

[1] De octo nominibus, *unus, ullus* et ceteris secundam pronominum declinationem sequentibus satis sit. Deinceps de *quis* uel *qui* a Donato inter pronomina collocato eiusque compositis syllabicisque adiectionibus in multis quoque secundam pronominum declinationem imitantibus exponetur.

[2] 61 regula igitur est, ut *quis* uel *qui* dicens substantiam, sit omnium nominum confusissimum et in speciem substantiae infinitae, et ita propter officiorum multitudinem multas formas et terminationes accipiat, ut per formas uarias et diuersas compositionesque syllabicas adiectionesque explicitas eius naturalis confusio in aliquam certitudinem redigatur et apertius comprehendatur. Qua de re sedecim inter compositiones et syllabicas adiectiones nasciscitur. (2) Compositiones quidem septem, ut *siquis, nequis, aliquis, nunquis, ecquis, unusquisque* et *quisquis*. *Quis* autem adiectiones quinque: *quisnam, quispiam, quisputas, quisquam* et *quisque*. *Qui* uero quattuor adiectiones: *quidam, quiuis, quilibet* et *quicumque*. De his autem plene per *Catholicon* explanatis in 3 parte (3, 49), ubi de figura nominis, capitulo *De syllabicis adiectionibus*, et in V parte, in *quis* uel *qui*. Et de *quis* secundum Priscianum, XIII maioris, communis generis a uetustissimis reputato. (3) De *quis* uel *qui* declinatione etiam a uetustissimis tam secundum tertiam quam secundum secundam declinationem facta. De *quicumque* pro *quacum*, de *quis* et *quibus* in datiuo ablatiuoque pluralibus, hoc tamen *quis* producto, sed in nominatiuo correpto. (4) Quare *quis* uel *qui* nomen et non pronomen sit, de differentia inter *quis* pronominumque substantiam, de *quis* uel *qui* nominumque interrogatiuorum e relatiuorum aduerbiorumque similibus et utroque infinitiuorum accentu, de aduerbiis localibus et temporalibus tam interrogatiuis quam relatiuis, quattuor differentias habentibus, ad locum, ut *quo*, in loco *ubi*, de loco *unde*, per locum *qua*, et de inter *quis* et *qui* differentia et *cuius*, *-a*, *-um* possessiuo tam interrogatiuo quam relatiuo acuendoque, supra, carta 74, auctoritate Prisciani in XIII maioris et primo minoris, supra in libro 2<sup>o</sup>, § *Quoniam autem quis uel qui* usque ad § *Tempestiuum est* inclusiue, cum aliorum auctorum adiumento plene resero (cf. supra 2, 6, 1; Prisc. 13, 29; 13, 13, 17, 29).

[3] 62. Inter *quis* et *quisquis* et *quicumque* est differentia, ut inter simplicia infinita et ea quae ex his geminatis componuntur uel ex assumptibus *cunque*. *Quis* enim infinitum ad unum intelligendum spectat, ut Oracius II *Sermonum* (2, 8, 1) *quis* pro *aliquis* accipit. *Quisquis* autem et *quicumque* ad uniuersos. Itidem *quot* certum numerum significat. *Quotquot* uel *quotcunque* uniuersos. (2) Item *quicumque* non nunquam pro relatiuo tantum, scilicet pro *qui*, quandoque pro distributiuo tantum, scilicet pro *omnis* accipitur. Vnde Nicolaus Perottus in capitulo *De relatiuis*, § *Reperiuntur* (fol. k4r.), sic ait: «Reperiuntur aliqua relatiua, quae geminantur uel assumunt *cunque*, ut *quisquis, quicumque, quotquot, quotcunque, qualiscunque, quantuscunque*, quae proprie posita uim habent ipsius relatiui simul uel antecedente distributiuo, ut *quisquis aut quicumque legit, discit*, id est *omnis qui legit, discit*. Ponuntur etiam aliquando pro ipso relatiuo tantum, ut *deus omnia quaecunque uoluit fecit*, et pro distributiuo tantum, ut *ego diligo quencunque hominem*, id est *omnem hominem*. Ponuntur etiam infinite, ut Virgilius (*Aen.* 5, 710):

"Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo est".

Et de his, infra, regula 96 et 104 dixi. (3) Et *quis* quidem simplex infinitum et interrogatiuum est, sed ab hoc compositum *aliquis* tantummodo infinitum. Item aduerbia *quo, qua, ubi, unde* et *quando* interrogatiua, infinitiua et relatiua esse possunt. Virgilius in X<sup>o</sup> (*Aen.* 10, 366-67):

«Aspera quis natura loci dimittere quando  
Suasit equos».

*Quando* pro *aliquando*. Et *aliquo, alicubi, aliunde, aliquando* et *aliqua* sine dubio sunt infinita tantum. Et *quis*, quod est substantiae infinitum, pro *qualis* et *quantus* collocatur, non autem pro *quis, qualis* et *quantus*. Insuper *qui* aduerbium pro *qualiter* sumitur, non *qualiter* pro *qui, quod* proprie propter quod importat. Et *qui* pro *quomodo* et *quo* pro *quanto* reperitur. (4) Praeterea *qui* et omnia alia aduerbia interrogatiua ad multas species interrogationum spectant, quomodo et supradicta generalia localia temporaliaque, et eadem relatiua sunt. Et quae ad diuersas aduerbiorum species non pertinent, aduerbia interrogatiua esse non possunt, ut hortandi, ut *ea*, uocandi, ut *heus*, respondendi, ut *heu* et similia. (5) Tandem localia quidem aduerbia pro temporalibus collocantur, ut *hic* pro *tunc* et *inde* pro *deinde*, non econtarius. Priscianus primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Eandem habent differentiam*, in his locupletissimus testis est †† quae supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Priscianus primo minoris*, uersiculo *Eandem habent differentiam* et uersiculo *Idem in eodem*. †† *sequenti*, ad uerbum retuli. (cf. supra 2, 10, 11; 2, 10, 19; Prisc. 17, 44-ss.).

[4] 63. *Quis* pro *aliquis* ponitur infinite †† et *qui* pro *quicumque*, ut *qui interficiet tyrannum, praemium accipiet*. Licet autem *qui* relatiue ponatur, tamen nihil prohibet eandem dictionem relatiue simul et infinite poni. Non tamen semper easdem conditiones habent, sed *qui* poni dicitur infinite, quando pro *quicumque* accipitur. Infinita uero omnia geminata uel *cunque* assumptia generalem pronunciationem sortiuntur, ut *quisquis, quicumque*. Sic Petrus Heliae in primo minoris, circa medium, de infinitis scribens attestatur. Supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Ex Prisciani*, recitauit. Quae quando nomen est per *-ae* diphtongon scribi debet (cf. supra 2, 8, 2).

[5] 64. *Quod* Nomen substantiale est et relatiuum et infinitum, ut *feci quod iussisti, faciam quod liberit*. Et est interrogatiuum, sed tunc adiectiuum est, ut *quod opus feci*, significat aliquid propter quod, quod in usu fere est, et Graeci dicunt, ut Festus Pompeius ait (Fest. 261). (2) Ceterum inter *uter* et *quis, utrum* et *quid* longa fieri solet apud Ciceronem et Quintilianum aliosque auctores differentia. *Vter* et *utrum* uelut de duobus dicta comparatiuo tribuenda sunt, ut *uter dignior, utrum potius*, si de duobus sermo fiat, *quis* et *quid* ut de pluribus interrogando dubitandoue superlatiuum petunt: *quis optimus, quid potissimum* est dicendum. (3) Quandoque tamen *quid* etiam comparatiuo applicamus, ut Laurentius, libro I, capitulo XV, refert in fine, et ego ibidem in meo *Elegantiarum breuiario*, et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Deinde Quintiliani sententia*, resseraui, ut positiuos *tantum quantumque*, comparatiuos uero *tanto* et *quanto* deceant. Cicero (*Off.* 1, 36): «*Quanto es maior, tanto te geras summissius*», non autem *quanto es magnus, tantus te geras summissius*, sed *quantum potes, tantum elaboras*. Dixi post Laurentium in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo XVIII, ubi tracto quoque illa aduerbia *ante* et *post* ad uim comparatiuorum accedere, ut *tanto ante ueni quanto post tu uenisti* (4) Et illud nomen *alius* et suum aduerbium *aliter*, et huic simile secus cum *tanto, quanto, multo, paulo, aliquanto* coniunguntur. Cetera uero positiuoque cum *tantum, quantum, multum, paulum, aliquantum*, nisi his pro in *-o* desinentibus abutamur. Iuuenalis (11, 9):

«*Despiciam qui sit quantum sublimior Athlas*»,

*quantum* pro *quanta* (5) Subinde de *tam* et *quam* scribo, quod similia sint, et eadem *tantum* et *quantum* uideantur, et quod *tam* et *quam* separatim uehementiam significant. Et *tam* et *quam* separatim poni solent, et alterum sine altero utrunque in significatione uehementiae. Cicero (*Phil.* 11, 37, 2): «*In tam optima causa non debeo timere*», id est in tam ualde et perualde bona causa. De *quam* hoc sit exemplum: *Tu es homo quamiocundissimus* id est ualde uehementer iocundus. (6) Posthac de *per* ampliorem significationem dicente secundum Priscianum in XV et in XVI, quod sit electiua coniunctio et *quam* non modo sit accusatiui cassu nominis infiniti, sed et similitudinis aduerbium, et *quanquam* duplicatum pro aduersatiua coniunctione sumatur. Subiicio et secundum *Catholicon Compraensoriumque* *quam* nomen infinitum, interrogatiuum et relatiuum sit, comparandique aduerbium, et pro *ualde* ponatur, et aduerbium quantitatis est, ut *iste quam potest*, id est quantum potest. (7) Et secundum hoc *quantus* a *quam* deriuationem trahit. Et in capitulo sequenti de *per* et *quam* cum gradibus exposui *per* et *quam* idem ponderis in compositione habere, sed alterum proprium positiui, alterum superlatiuum esse, ut *perpulchre, quampulcherrime*. Hoc intellige quando *quam* pro *ualde uehementerque* suscipitur, sed *quam* por *quantum* cum positiuo, ut *quamdoctus es scio*, coniungitur, non cum superlatiuo, nisi cum *possum, quaeo, ualeo, licet* similibusque iungatur, ut *dico quamdissertissime possum* et tunc *quam* non cum superlatiuo, sed cum uerbo *possum* uel simile debet coniungi, ut *dico dissertissime quam*, pro *quantum, possum*, uel *quaeo* uel *mihi licet*. Nunquam uero cum comparatiuo copulatur, ideo *complura uolumina*, non *quamplura* latine dicitur. (8) Enimuero positiui cum *per* comparatiuum est ipsius positiui comparatiuum cum *multo*, superlatiuumque est superlatiuum suum, cui *quam* adiungatur, ut *persanctus, multo sanctor, quamsanctissimus*. Ex *per* et *quam* *perquam* componitur, sed positiuo non superlatiuo, ut *per*, sed et uerbo copulatur, ut *perdoctus, perquamdoctus*, non *perquamdoctissimus*, et *peramat* et *perquamamat*, licet apud Boetium *perquamrarissimos* (*Porph. Isag.* 2, 1, 85), et apud Pomponium *perquambreuissimos* sit inuentum (*D.* 1, 2, 2, 44, 10). Ceterum *quam* cum certis aduerbiis certitudinem superlationemue significantibus positiuis adiungi potest, ut *sane quamutile uoce, admodum quamsuauis, oppido quamlibens, nimis quamineptum*, quae aduerbia idem pollent, quae *per* pro *ualde*, tum *perquam* est usitatus, ut *perquamutile uoce, perquamsuauis, perquamlibens, perquamineptum*. (9) Haec igitur positiuo dantur, illa uero, ut *multo longeq*ue superlatiuo magis, sed in eo fere significato, quo *quam* cum superlatiuo solet, quod huic *quam* genitiuum superlatiuum proprium aut ablatiuum accusatiuumue cum praepositione non adiicimus, uti sine ipso *quam* fieri solet, M. Tullius (*De or.* 2, 357): «*Acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum uidendi*»; et iterum (*ibid.* 2, 2, 4): «*Quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum*», non dixit *quamacerrimum* aut *quamplurimum ex omnibus* siue *inter*

omnes De hoc plenius supra, libro 2º, § *Item ut in XVIII libro usque ad § Idem Laurentius eodem libro, dixi* (cf. supra 2, 12, 1; 2, 12, 3; 2, 13, 10; Prisc. 15, 21; 16, 9; Valla, *Eleg* 13, 3; 1, 16).

[6] Paulo post, in § *Naturam quod et quo*, secundum Laurentium, libro IIº, capitulo 37º, dissero *quod et quia* causam efficientem notant et nunc indicatium nunc subiunctium asciscere, *Ioannes amat quod*, uel *quia, pater est, uel sit, et quod* communem et causalem siue rationalem significationem habet, nam et *quod* pro *quia* apud maximos auctores saepenumero inuenitur, ut et *quia* pro *quod* aliquando, sed *quo et ut* finalem dicunt subiunctiumque reposcunt. (2) Consequenter in uersiculo *In praecedenti*, de multiplici significatione *ut* et similium, scilicet *uelut, ueluti, uti, quasi, tanquam, ceu et sicut, sicutique* declaro. Posthac de *uti* pro *ut* et *ut* pro *quod*. Praeterea secundum Laurentium, libro IIº, capitulo 28, de *ut* pro *quippe et utpote et secundum*. Deinceps de confirmatiuis aduerbiis, scilicet *quippe, utpote, profecto, utique, nempe, nimirum, sane, certe*, quam licet pro *certe* uulgo accipiat, tamen pro causatiuis ponuntur elegantius. (3) Tandem in uersiculo *Profecto autem*, adiicio quod *profecto et utique* affirmatiua sint, et *utique* non soleant, ut *profecto*, ad responsionem adhiberi, et *profecto, nimirum, certe, nempe* in respondendo conueniant. *Nempe* usitatum sit omnium maxime, ut in respondendo ad interrogationem subiungatur, non nunquam tamen sine interrogatione sit repertum. Et de *certo scio* et *certe* pro *saltem*, et de *at* pro *saltem et uel et aut*. *Certe* uero cum *scio* coniunctum similibusque uerbis, in *-o-* mutari solet, ut *certo scio*, sicut *manifesto* pro *manifeste*, *aperto* pro *aperte*, *liquido* pro *liquide*, *tuto* pro *tute* similiaque dicuntur. (4) Nec omittas perspicere uersiculo *Etsi, quanquam*, inter *etsi* et *quanquam* et de *quam* duplicato compositum ex una et *quamuis*, de *quam* et *uis*, et *licet* parte altera differentiam, licet enim eiusdem significationis sint, tamen quid discriminis in utendo habent, quippe cum maior dignia prioribus duobus data sit, quae sibi duntaxat in principio, statim orationum, epistulae, librorum semper indicatium asciscant; altera duo in hoc loco raro, in ceteris quattuor indifferenter. (5) Et duo postrema subiunctium magis quandoque tamen et idicatum admittunt. Idem de *tametsi* dico, quod de *etsi* disserui, licet apud Vlpianum, l. II, § *Tametsi, ff. De arbi.* (D. 4, 8, 3, 1, 2), cum subiunctiuo iunctum reppererim. *Quamprimum de quam primumque* compositum significat confestim, ualde cito, unde Tullius in principio 3 *Ad Herennium* dicit (3, 1): «Vt omnis inueniendi ratio tibi quamprimum persolueretur» (cf. supra 2, 16, 1; 2, 17, 1; 2, 18, 2; Valla, *Eleg* 2, 36; 2, 37).

[7] 65. *Cuius* datiuum *cui* una syllaba superat. Genitiui nanque in *ius* coniunctim uel diuisim terminati datiuum in *-i* faciunt, eum una syllaba superantes, ut in quinque pronomibus declinationis secundae: *ille, iste, ipse, hic* et *is*, et proxime dictis octo nominibus eam secundam pronominum declinationem sequentibus perspicere potest. Sed et nominatiui in *-ius* coniunctim uel diuisim terminati uocatiuum in *-i* exeunte syllaba una uincunt, ut *Antonius Antoni, Pompeius Pompei, Vultei Vultei, Caius Cai*. (2) Sciendum autem quod in *huic et cui et Pompei, Vultei, Cai* similibusque, *-i-* naturaliter consona est, licet uocalis sonum habeat, absoni fugiendi causa. *Huic* autem propter coincidentiam *hui* interiectionis disyllabae repellendam, *-c-* fuit appositum. *Ei* quoque, ut ab *ei* interiectione dolendi monosyllaba differat, etiam a poetis per dieresim est prolata. Poetae quoque *huic et cui* plerumque monosyllaba proferunt, quandoquidem disyllaba, raro per dieresim. *Alius* autem in datiuo *alii*, cum duplici *-i-*, propter coincidentiam infinitiui *ali* de *alo* remouendam, facit. (3) *Huic* regulae Priscianus in VIIº et XIII, expositor antiquus et modernus, Petrusque Heliae in his locis, *Doctrinale* in XIº, *Catholicon* in *cui, ei, hic* et *haec et hoc*. Aegidius, libro *De accentu*, capitulo XXVII, auctoritatem accomodant, et supra, post libri secundi principium, § *Secunda declinatio*, usque ad § *Hanc secundam pronominum declinationem*, et uersiculo *Haec autem octo*, usque ad § *De uocatio horum auctoritatem* secutus, plenius explanauit (cf. supra 2, 2, 1-2, 3, 1; 2, 4, 1-6; 6; Prisc. 7, 19; 13, 8; Helias *ibid.*).

[8] 66. *Quid* pro *in quo* solet accipi. Cicero in *Laelio* (*De am* 30): «*Quid enim indigens Africanus mei?*», et primo *Ad Herennium* (1, 6): «*Quid*» -pro *in aliquo* «si genus causae dubium habebimus, a beniuolentia principio constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit». Hic enim *quid* pro *in aliquo* debet exponi. Idem de *nihil* dici potest, ut *nihil me iussisti*, id est *in nihilo*. ††.

### XXIII. *Vná, quá, nequá.*

[1] 67. Ablatiui nominum in *-a* terminati quandoque pro aduerbiis surrogantur, ut *uná, quá, nequá*, ut *nequa scire dolos*, ubi *nequa* pro *nequando* supponitur, ut Petrus Heliae in XV, circa finem, cartae 2 dicit. Idem in eodem, carta 4, de *qui* subiicit: «*Qui* in ablatiuo pro *quomodo* uel *unde* ponitur aduerbialiter».



Secundum *Compraensorium autem pro qualiter*. De hoc libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Idem Petrus Heliae in XV*, supra dixi, et in 62 regula tractum est (cf. supra 2, 10, 7; 4, 22, 3; Prisc. 15, 8; Helias *ibid.*).

[2] 68. *Quod* coniunctio in suo significato communi nunc indicatuum subiunctuumque admittit, nunc tantum subiunctuum cupit. Primo modo, quando uerbis gaudium, credulitatem, opinionem, exsitimationem, delectationem uoluptatemue significantibus similibusque adiungitur, ut *gaudeo, laetor, exulto, iocundor, credo, opinor, puto, existimo, delector, uoluptatem capio, quod oro, uel orem deum*. (2) Altero autem modo, quando uerbis uoluntatem, mandatum, iussum, imperium, exactionem, postulationem, petitionem notantibus applicatur, ut *uolo, mando, iubeo, impero, exigo, postulo, peto, flagito, rogo, quod bene uiuas*, ut Laurentius Vallensis *De elegantiiis* libro 2, capitulo XX, disserit, et ego ibidem in meo *Elegantiarum breuiario*. (3) Et supra, libro 2, § *Quod autem in suo significata*, dixi. Vbi in uersiculo *Sciendum autem* adiicio: «Quae uerba primo modo dicta cum *quod* indicatuum subiunctuum recipiunt, sine *quod* autem indicatuum tantum, ut *gaudeo, quod bene uales, uel ualeas, gaudeo, bene uales* (cf. supra 2, 19, 1; 2, 20, 2; Valla, *Eleg* 2, 20).

[3] 69 regula. In *facio et commito saepe ut pro quod* accipitur, ita *quod* tunc causam finalem non importet, *facio, ut bene consulam*. Hic autem pro *quod* ponitur, quasi dicam *bene consuli et commito ut peccem, pro pecco*. Secus est si *ut* causam finalem notet, ut *deum oro ut eius regnum consequar*. Hoc Laurentius, libro 2<sup>o</sup>, capitulo XXXVIII, et ego post eum ibidem scribimus. Et supra, libro 2, uersiculo *Circa ut etiam*, explico (cf. supra 2, 21, 1; Valla, *Eleg* 2, 38).

[4] 70. *Quod* et *cum* quandoque quippiam peculiare in oratione tenent, ut cum uerbo principali coniungantur, ut in *Bruto* Cicero (2, 1): «Augebat etiam molestiam, quod magna sapientum ciuiumque bonorum penuria iam in ciuitate esset». Idem *Ad Sulpicium* (*Fam* 4, 14): «Quo in periculo nihil me consolatur, cum recordor haec me tum uidisse». Laurentius et ego, capitulo sequenti, et supra, § *Haec autem per ea* (cf. supra 2, 21, 3).

[5] 71. Propter mentionem de *cum* factam tractatumque de pronomibus principalem postpositionemque quandoque ablatiuo huius nominis *quis* uel *qui* factam, ut *quicum, quocum, quibuscum*, hic asseuerari potest *cum* per anastrophe, id est recti ordinis conuersionem, ablatiuis pronominum trium personarum postponi posse, ut *mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum*, sed in *nobis* propter cacephaton, id est turpem et obscenam prolationem uitandam, ne si *cum nobis* diceretur, mulierem pudenda, scilicet *cunno*, proferri uiderentur. (2) In reliquis autem propter consortium, sed in his omnibus ablatiuis, haec praepositio *cum* grauatur postposita, uelut dictio una foret, nam si pro duabus dictionibus expresse haberentur, tanquam breuis monosyllaba postposita acueretur omnino, sed nunc super ultimam praecedentium ablatiuorum syllabam ponit accentum, ad se inclinans eum. Sed et ablatiuis huius nominis *quis* uel *qui* postponi potest, ut *quicum, quocum, quacum, quibuscum*, sed in his non grauandam sed acuenda est, nam potest praeponi quoque, ut *cum qui, cum quo, cum qua, cum quibus*. (3) Priscianus libro XII, carta finali, et primo minoris, § *Pronominum*, uersiculo *Nulla*, Petrus Heliae super XII, carta finali, *Catholicon* in 2 parte sui operis, in capitulo *De impedimentis accentus*, § *Enclesis* (2, 26), ista probant, supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Nec mecum, tecum, secum*, et § *Quoniam autem de cum mentio facta est*, plenius est expositum et aliquid, in § *Verum*, carta 108, super praepositionum monosyllabarum praeposteratione, ubi breuiter de praedictis tactum est (cf. supra 2, 26; 2, 22, 1; Prisc. 17, 45; 12, 27-28; Helias *ibid.*).

[6] 72. *Quod* cum uerbo signi quandoque posito, pro significante coniungitur. Cicero in prohemio primi *Ad Herennium* (1, 1): «Eo studiosius hoc negocium suscepimus, quod te non sine causa uelle cognoscere Rhetoricam intelligebamus». Ac si diceretur, ut intelligo, *non sine causa uis rhetoricam cognoscere*. Item: «Admiror quod non audiui illum flere», pro eo quod est *admiror quod nunquam ille fleuit, ut audiui*. Hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 2<sup>o</sup>, capitulo XL, post Laurentium Vallensem, reperies, et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Ad maiorem huius coniunctionis quod intelligentiam* (cf. supra 2, 22, 2; Valla *Eleg* 2, 40).

#### **XXIV. Quando.**

[1] 73. *Quando* a *quam* deriuatur, et temporis est aduerbium interrogatuum, infinitum et relatiuum. Coniunctioque causalis et rationalis est, et tunc pro *quoniam, quia siquidem*que accipitur. Et praepositae per omnes grauatur syllabas, postpositae acuitur in principio. Et componitur syllabaturque, et dicitur *siquando, nequando, aliquando*, antepenultima acuta, et *quandoque*, in cuius penultima uel antepenultima collocari potest accentus, cum penultima quoad temporis quantitatem sit communis. (2) Item *quandocunque* et *quandoquidem* pro *quia*, ut autem in *quandocunque* accentus in

penultima per posituram longa retinendus est, sic in antepenultima de *quandoquidem*, cum penultima brevis sit. Et in *quandoquidem* uera compositio non est, sed duae partes unius loco situantur, ut sit ibi uocum irregularis congeries potius quam compositio. Sed et tunc accentuatur, ac si esset una dictio, ut in *extempla, eximproviso, extempore, defacili* similibusque perspicitur. (3) *Quatenus* a *qua* aduerbio et *tenus* componitur, ut *hactenus* ab *hac* aduerbio et *tenus*, et accentus in antepenultima collocandus est, cum in *tenus* prima breuietur, ut de *quatenus* Petrus Heliae in XIII<sup>o</sup> tenet, et Tortellus de *hactenus* in hoc uerbo scribit, et communis usus hoc habet, quem sequendum reor, licet *Catholicon*, Ebreardum sequens, in his censeat duas partes esse, tæque acui debere. Et *quatenus*, *quia* et *quousque*, *quaratione*, *qualiter*, *quamdiu* pro eo quod est *hucusque* et *inquantum* significat. (4) *Hactenus* uero *hucusque*, ut *actenus* sine aspiratione de *ac* et *tenus*, non tamen quod inde componatur secundum *Catholicon* in *actenus*, et tunc etiam secundum ipsum in antepenultima retinetur accentus. Et *hactenus* hac fine denotat, Tortello teste auctoritate Festi (Fest. 258): «*Quatinus* autem per *-i-* a *qua* deriuatur, pro ut coniunctio qualitatis est, et adiunctiua esse potest». (5) Et secundum Hugutionem nihil est, cum tantum *quatenus* per *-e-* et non per *-i-*, ut in XVI Priscianus innuit, sit inuentum. Tamen Festum, Papiam, *Catholicon*, Aegidum et Tortellum expresse ponentes *quatinus* per *-i-* sequendos puto, quamuis Festus et Tortellus pro *quoniam* accipiendum scribant, sed Papias, *Catholicon* et Aegidus aliter accipiuntur, nam Papias et Aegidus coniunctionem causalem esse dicunt. *Catholicon* uero pro ut coniunctionem qualitatis et adiunctiuam esse, et in *quatinus* inter *quod*, *ut* et *quatinus* assignat differentiam, quia *ut* remotiorem causam, *quatinus* propinquiorem sumit, sed *quod* ad utrunque spectat, unde minus rite dicitur *uolo quatinus legas*, sed bene dicitur *uolo ut legas*, quippe cum uoluntas longissima sit et nimium infinita. (6) Ergo post *quatinus* et *quod* recte subiicitur sic *ut* coniunctio, *rogo uos quatinus mihi uestrum auxilium impendatis*, uel *postulo quod mihi dignemini prouidere, ut possim in studio commorari*, sed non bene diceretur *rogo uos, ut benefaciatis mihi*, uel *quatinus in studio permanere possim*. (7) Quamuis autem penultima in *quatenus* et *quatinus* brevis sit, tamen prima producitur. *Quatenus* enim de *qua* producta *tenusque* componitur. Et de *quatinus* in *-a-* ante *-t-* in primis syllabis per *Doctrinale* in X<sup>o</sup> textus est expressus (10, 1.759). Regulariter enim *-a-* ante *-t-* corripitur, multa excipiuntur, inter quae *quatinus* est:

«*Quattuor et fatum naturaque quatinus, ater*».

Et in uersu *Graecismi* perspicitur potest: «*Dictio quatinus est oratio: quatenos esto*». (8) Et de *quando* cum inde profectus supra relatis: *quatenus*, *hactenus*, *quatinus*, *quod* et *ut* eorumque tempore et accentu, et regulariter de praepositionum, coniunctionum praepositiuarum, et communi etiamque aduerbiorum accentu, et de praedictorum significato et tempore et accentu aduerbiorum in *-o* desinentium, et de *alioquin* compositisque non modo a *quando*, sed et ab *inde*, *longe intusque*, per Priscianum XIII<sup>o</sup> XV<sup>o</sup>que maioris et in his libris per Petrum Heliae et alios scribentes, et per eundem Priscianum in libro *De accentu* et per Festum Pompeium, Hugutionem, Papiam, *Catholicon*, Aegidum, libro I *De accentu* capitulo 27, et per Laurentium Vallensem, libro 2<sup>o</sup>, capitulo XLIII, plene scribitur. Et horum omnium auctoritate, supra, libro II, § *De quandoquidem, quando ac quatenus*, usque ad § *Differentia uero est*, breuiter et absolute dico (cf. supra 2, 23, 1-2, 24, 5; Prisc. 16, 16; 14, 2; 15, 11; Helias *ibid.*; Prisc. *De accentu* 7, 47; Valla, *Eleg.* 2, 42).

[2] *Quadere* et *quamobrem* secundum 74 regulam dictiones non sunt compositae, sed quaedam irregularis dictionum congeries, quae ponitur unius dictionis loco, sit ibi magis quam uera compositio, et pro causalibus coniunctionibus et etiam illatiuis ut *quapropter* et *eapropter* et *igitur* et *ergo* debent accipi. Vel in *qua de re et quam ob rem* et etiam *quam ob res* tres partes dixerimus esse diuersas, ita quod *de* et *ob* praepositiones inter duo nomina per peruersionem transgressionis speciem iuxta Ciceronem III<sup>o</sup> *Ad Herennium* (4, 32, 44), interpositae censeantur, licet enim praepositiones in prosaicis praeposterentur rarissime, et monosyllabae in poeticis quoque mutant ordinem difficile, excepta *cum*, semper apud quoslibet in quinque pronomibus *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *uobiscum* et apud Tullium in *quocum*, *quicum* et *quibuscum* et *prae* quoque apud Terentium (*Eun.* 908):

«*I praee, sequar*».

(2) Tamen medie interponi possunt, ut *qua de re, quam ob rem, quas ob res*, quae non nulli composita esse putant, quod Petro Heliae in XIII, 3 carta etiamque in sequentis fine, non placet. Verumenimvero, testante Laurentio Vallensi in libro II, capitulo XLIII<sup>o</sup>, inter *igitur* et *ergo* ex una et *quare* et *quamobrem* et *quapropter* parte altera est differentia, siquidem priora breuioribus conclusionibus, posteriora longioribus adhibentur, nisi hoc modo quis loquitur: *nescio quare sic dicas, intelligo quamobrem sic facias*. Sed priora quoque, id est *igitur* et *ergo*, ad signandam partium rationis coniunctionem non nunquam interponi solent, ut aut continuem aut pergam ad sequentia, ut Cicero *Ad Herennium*, libro I<sup>o</sup> (1, 6, 10), et Virgilius

in *Egloga* 2<sup>a</sup> (*Buc* 7, 16-19) facit. (3) *Ergo* tamen ut est coniunctio per omnes syllabas grauatur praeposita, sed postposita in prima acuitur, ut *sine* praepositio, sed pro causa seu gratia, cum nomen est, acuitur in postrema, ut et *pone* aduerbium postpositaue praepositio. Quippecum praeposita per omnes syllabas grauaretur. (4) Enimuero *pone* et *sine* uerba retinent accentum in prima. Priscianus in VIII<sup>o</sup> et plenius in XIII, Petrus Heliae primo maioris et XIII, *Doctrinale* capitulo XI, Aegidius libro II<sup>o</sup> *De accentu*, capitulo II<sup>o</sup> de impedimentis, in 6<sup>a</sup>, *Catholicon* in 2<sup>a</sup> parte de aduerbiorum accentu, uersiculo *Aduerbia terminata in -e*, et in capitulo de impedimentis accentus, § *Causa differentiae*, et in uerbo *pone*, corroborant antedicta. (5) Et de praepositionum praeposteratione et de *quodere* et *quamobrem* Petrus Heliae in XIII<sup>o</sup> et *Catholicon* in *quamobrem* notanda scribunt. De his in dicto § *Differentia*, 106 carta, in fine, usque ad § *Composita*, carta 108, dixi (cf. supra 2, 24, 5-2, 27, 1; Prisc. 8, 5; 14, 41; Helias *ibid.*; Valla, *Eleg* 2, 43).

[3] 75. Praeter antedictas irregulares uocum congeries sunt aliquae uel indeclinabilium cum pronomibus uel *quis* uel *qui* similibusue coeuntium, ut *adeo*, ex *ad* et *eo*, et *ualde* significat, et *intantum*, nunc sequente *ut*, nunc non sequente. Idem de *usqueadeo* et *usqueo* dici potest, ut Laurentius et ego, libro II<sup>o</sup>, capitulo XLV<sup>o</sup>, scribimus. (2) *Vsquequaque* secundum *Catholicon* est quamdiu, *quousque* ad quem finem, Papias teste: «*Vsquequo*, id est aliquantulum, aduerbium quantitatis est, et *undique* loci aduerbium, et *usque* uel quamdiu uel donec temporis est aduerbium. *Vspiam* in aliquo loco, *alicubi* ab *ullus* aduerbium est locale, *-piam* syllabica adiectio, unde in fine acui non potest. Accentus enim principalis in syllabica adiectone poni non debet. *Vsqum*, in aliquo loco, ab *ullus* quoque aduerbium locale est dicendum». Haec *Catholicon* asseuerat. (3) *Adeodatus* quoque, testante Aegidio, capitulo XXVII, unica dictio et unicum nomen est habendum, ut Hieronymus super primo *Regum*, capitulo XXI, dicit (Andr. de S. Vict. *Exp. in Reg* 2, 21): «*Dauid* enim dictus est *Adeodatus*, quasi a deo in regem electus». Haec supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Composita*, explicauimus. *Quammox* *quamcito* significat, sed si per se ponas, *mox* postea uel paulo post notat, Festo Pompeio teste (cf. supra 2, 27, 1; Valla, *Eleg* 2, 44).

[4] 76. *Quid* nomen est infinitum, relatiuum, interrogatiuum, quod magis adiectiuum est, ut *siquod opus praecipis mihi, facio*, non autem possum dicere *siquid opus* per se. Similiter si interrogatiue profertur, ut *quid opus mihi praecipis*. *Quid* uero infinitum et interrogatiuum est, relatiuum uero non est, sicut *quod*, ut *non habeo opus quid*, nisi quis dicat *non habeo quid faciam, quid esset relatiuum*. *Quid* tamen esse non uidebitur si ita etiam pronunciatum fuerit, ut aperte relatiuum appareat, ut *non habeo opus aliquid*, ad illud non *quid faciam*, sed *quod faciam* referri debet. (2) Verba uero interrogatiua sunt *quid, quis, quantus, qualis, quot, uter, quotus, quotenus, quotennis, cuius, cuius, cuius, cuias, cur, quomodo, qualiter, quantum, ubi, qua, quo, unde, quando, usque, quotiens*, quae omnia uel nomina uel aduerbia profecto. De his et horum interrogatiuorum singulis plene in *Comprensorio* dicitur.

[5] Item *quid* aliquando pro *cur* ponitur. Insuper *quid* pro *ad quid*, Virgilius III<sup>o</sup> *Aeneidos* (3, 5-6):

«*Quid non mortalia pectora cogis  
auri sacra fames?*»,

pro *ad quid*. Deinde *Quin*, ut arbitror, a *quid* et *non* componitur. Saepe quidem interrogatiue pro *quid*, id est *cur et non* accipitur, ut ferè omnes grammatici asseuerant. Cicero *Pro Rabirio* (18, 14): «*Quin* compercitis istam uocem indicem stulticiae, testem paupertatis?» Et tunc uerbum non subiunctiuum sed indicatiuum poscit, nam sine interrogatione, *ut et quin pro ut non*, et pro *ut*, quando adiunctiua est coniunctio, subiunctiuum semper exflagitat, nam si collectiua fuerit *ergo* significans, uel pro *certe* affirmandi aduerbium uel interrogandi, ut *quin uenis? quin legis? quin fugis?* pro *cur non et cur*, uel ordinis pro *quin etiam* siue *atque etiam* et insuper indicatiuum desiderat, sed pro *potius* eligendi aduerbium uel hortandi pro *quinimmo*, subiunctiuum magis. (2) *Quin* cum *etiam* componitur, et *insuper* denotat. *Quin* etiam cum *immo* componitur, id est *potius*, magis uel *certe* digendi uel affirmandi aduerbium, uel duae partes esse possunt. Sciendum autem quod in Lucae *Euangelia*, ubi dicitur: «*Quinimmo* beati qui audiunt uerbum dei et custodiunt illud», ita distinguendum esse uidetur *quinimmo* et deinde *beati qui audiunt uerbum dei*, et producit penultimam secundum *Catholicon*. (3) Hoc aduerbium, ut *imo*, cum unico *-m-* scribens, licet de duplici *-m-* a maximis uiris teneatur opinio. Aegidius uero capitulo 27, in *quinimmo* dicit: «*Quinimmo*, cur non, potius, quare non, et tunc aduersatiue tenetur, et duae dictiones sunt, uel una dicitio esse potest, et tunc electiue existit, *immoque* designat. Vnde in *Euangelio* Lucae (11, 28): "*Quinimmo* beati", et cetera. Aulus Gellius (17, 13), *Alfonsina* referente, *Catholicon* in *quin*, Aegidius in *quinimmo*, capitulo XXVII<sup>o</sup>, *Comprensorium* et Laurentium Vallensem, libro 2<sup>o</sup>, capitulo XLVII, praedictis auctoritatem accomodant. Et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *De quin autem* horum auctoritatem dixi (cf. supra 2, 28, 1; Valla, *Eleg* 2, 46).

[6] 77. *Quidni* interrogandi respondendique affirmatiue est aduerbium, ut apud Vlpianum in *l. I. § Siquis ita, ff. De uerbo. ob.*, iuncta glosa I, quoad affirmatiuum responsum palam est, et utroque modo pro *cur non* debet exponi, et ita glosa praedicta exponit. Vide supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Quidni pro cur non* (cf. supra 2, 28, 4).

[7] 78. *Quo* interrogatiuum est, ut *quo uadis?*, relatiuum, ut *montes ascendo quo tu non potes ascendere*. Infinitum ut *quo uadam nescio. Sic, ubi, qua, unde, quando, quomodo* et similia interrogatiua, relatiua et infinita esse possunt. *Quo*, id est ad quem locum uel ad quam rem. *Quo* pro *ut* et pro *quando* accipitur, ut in *Compraensorio* continetur. (2) Consequenter *quoad* et *quoadusque* subiicitur, de quibus infra dico, hic tamen adde *quoad* pro *quantum* seu *inquantum* sumi posse, ut Cicero *Ad Herennium*, in libri primi tractatus principio (1, 2): «Oratoris officium est de his rebus dicere posse. Quae res ad usum ciuilem moribus et legibus constitutae sunt cum assensione auditorum, quoad eius fieri poterit», id est *quantum* seu *inquantum, talis assensio poterit fieri eius*, pro *ab eo*, scilicet oratore. (3) Deinde *post, quocirca, quod*, infra, regula 79, pono, subiungitur. *Quod* nomen substantiale est et relatiuum et infinitum, ut *feci quod iussisti, faciam quod libuerit*, et interrogatiuum est, sed tunc est adiectiuum, ut *quod opus fecisti?* Non enim per se *quod facis* dici potest. De *quodam, quominus, et quomodo*, infra regula 80, et 81 dicetur. *Quoniam* subiicitur, id est *quo uersum, quam diu, quo pacto, qua uia, qua ratione, qua propter*. *Quoque* coniunctio copulatiua pro *et etiam* accipitur. Item pro *similiter* est aduerbium. Hoc Priscianus XVI et Laurentius libro 2<sup>o</sup>, capitulo LIX, corroborant, et ibidem meum pondera *Elegantiarum breuiario*, ubi addidi Priscianum. (4) *Quorsum* ex *quo uersumque* compositum, tam interrogatiuum quam relatiuum et infinitum esse potest. Priscianus I minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Quorsum quoque*, et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Priscianus I minoris*, uersiculo *Quorsum quoque*, lege. Adice *Compraensorium* sic inquit: «*Quorsum*, id est in quam partem, uersus quam partem. Hoc dixerat *Catholicon*, adiciens: "Et componitur a *quo* et *uersum*, et syllabicatur *quorsum quorsumcunque* id est uersus quancunque partem, secundum Hugutionem"». (5) *Quoad* infinitum quoque, relatiuum et interrogatiuum est, nam pro *quousque* desumitur, at pro *quando* quod triplicem significationem habet. Terentius in *Phormione* (147-48):

«Quid senem

quoad expectatis nostrum?»,

interrogatiue dixit. Idem et relatiuum: *quoad iussistis, parui*; infinitum: *quoad licet scribo*. (6) Sic Priscianus, ubi supra, in uersiculo sequenti qui incipit *Quoad quoque*, docet, et supra, eodem loco scribo. Cicero uero *quoad* pro *quantum* uel *inquantum* sumit, ut in hac regula dictum est, et circa finem secundi *Ad Herennium* scribit (2, 50): «Reliquas praeceptiones quoad uidebitur, in tertium uolumen transferemus». Idem in 3<sup>o</sup> capitulo, uersiculo *Modeste* partibus: «Si quoad cuique satis sit, ostendemus». *Compraensorium* uero dicit: «*Quoad* accipitur pro *quousque* et *quamdiu*, interrogatiuum est, ut *quoad expectatis?*; relatiuum: *quoad iussisti, parui*, infinitum de praesenti uel de futuro» (cf. supra 2, 10, 13; 2, 10, 14; Prisc. 117, 44-ss.).

[8] *Quoadusque*, id est usque ad quod tempus uel usque ad quem locum, et, ut *quoad*, interrogatiuum et infinitum potest esse.

[9] 79. *Quocirca* ex *quo* et *circa* dictio est composita, uel est ibi quaedam irregularis uocum congeries. Et est causalis uel illatiua coniunctio, et haec congeries in *circuncirca* et *circunquaque* potest assignari. *Catholicon* sic ait, *Compraensorium* uero subiicit: «*Quocirca*, quabobrem, quadeausa, iccirco».

[10] 80 regula. *Quodam modo* secundum *Catholicon* duae partes sunt. Ideo duobus accentibus gubernatur. Quidam tamen *modo* grauant, sed tunc non erit ibi compositio, sed quaedam irregularis uocum coniunctio, loco dictionis unius fungens. De *quomodo* dicit idem, sed ubi pro *qualiter* steterit, una dictio erit, non uere composita sed cum irregulari uocum congerie. Itidem de *nullomodo* et *ullomodo* scribit. (2) *Solummodo* et *tantummodo* communis usus tanquam dictiones compositas sub uno accentu profert. *Nihilominus* in alio sensu duae dictiones esse possunt. Et ut in *quodammodo* duae partes sunt, sic in *siquomodo* tres, saltem duo, *siquo* et *modo*, potius esse dices. Licet autem *siquo* non disiunctim proferatur. In hoc et *modo* penultima uenit acuenda. (3) Quinimmo coniunctim *siquo* penultimam acuendo dicimus proferendum. Hugutio in libello *De dubio accentu*, capitulo finali, § *De quomodo et nullomodo*, *Catholicon* in 2<sup>a</sup> parte sui operis, de aduerbiorum accentu, capitulo *De compositis a modo* (2, 26), copiose et in V parte, in *quodammodo, quomodo* aliisque uocabulis antedictis confirmat. (4) Aegidius capitulo 26, in *-o-* ante *-d-* in mediis, corroborat, et taliter asseuerat: «*Quomodo* aduerbium breuiatur, Oracius in prima *Sermonum* (1, 9, 43):

"Maecenas quomodo tecum?"

et ponitur interrogatiue. Quando uero sine interrogatione ponitur, sunt duae dictiones, ut in *Euangelio* (*Iohan.* 14, 27): "Non quomodo hic mundus dat, ego do uobis", et ibi in additionibus repperi: «Videtur quod in *Euangelio* Lucae *quomodo* sit aduerbium, cum ponatur interrogatiue, ut *quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?* Et per sequentes uersus qui sunt in *Sacrario*, confirmatur: "Talibus auditis, retulit uirgunculam mitis. Quomodo concipiam uel matri quomodo fiam?" Quae sic noui: *Non nosco uirum, neque noui.*» Vtrunque tamen sententia *Catholicon* et Aegidi potest obseruari.

[11] 81. *Quominus* per *-q-* duae semper dictiones sunt, et *quo* pro *ut minus* aut pro *non* debet intelligi. *Comminus* per *-c-* de *con* et *minus*, *-n-* mutata in *-m-* per duplex *-m-* debet scribi, et prope sine intermissione, statim, fere in praesenti, de proximo iuxtaque significans *eminus* pro alonge contradicit. Ebreardus: «*Eminus*, alonge, sed *comminus* ad prope spectat. Quocirca *quominus* duobus accentibus». *Comminus* autem *eminus*que unico accentu proferenda sunt, licet Papias dicat: «*Quominus*, aliter non», quasi pro una dictione accipiens. (2) Nam et *nihilominus* pro *tamen* et *paulominus* pro *feré* dictiones compositae existentes accentu in antepenultima posito propter breuem penultimam proferuntur, uno duobus autem, si duae fuerint dictiones, ut *nihilo* et *paulo* sint ablatiui casus, et *minus* nomen aut aduerbium comparatiue ponatur, ut *iste multum comedit, et ille nihilo minus isto, et minuisti eum paulo minus ab angelis*. De his per Hugutionem in *Rosario*, libelloque *De dubio accentu*, et per *Catholicon* in 2<sup>a</sup> parte de aduerbiorum accentu, capitulo *De compositis a minus* (2, 20), et in dictionibus hic expressis et per Aegidum, capitulo 27. (3) In quibus locis de *siquo minus* fit mentio, et tenetur tres dictiones esse si coniunctionem *quo* superfluens uel aduerbialiter positum, pro aliquo modo et *minus* pro *non* negandi aduerbium. Ideo tribus accentibus sunt regendae, ut Ioannis XIII: «*Siquo minus dixissem uobis, quia uado uobis parare locum*», et sensus est: Si non essent uel si aliquo modo non essent in domo patris mei mansiones multae, dixissem uobis, quia uado uobis parare locum. (4) Alii duas dictiones esse dicunt, *siquo*, id est *si aliquomodo*, et *minus* aduerbium. Et secundum opinionem utranque *minus* penultimam acuit. *Comminus* et *eminus*, cum unicae dictiones sint compositae, et penultima breuietur, accentum in antepenultimam retinebunt. Tertia uero ab Aegidio posita sit opinio, ut secundum Hieronimum *Ad Iouinianum hereticum* (2, 28, 338) sit una dicitio unico proferenda accentu, et tunc scio per *-c-* et non per *-q-* scribendo, sed nullatenus est tenenda. Quarta tolerare potest opinio, quod duae dictiones sint: *siquo* pro *si aliquo modo* et *minus* aduerbium, non comparatiue sed pro *aliter* surrogatum. Et licet *minus* in ui comparatiui ad designandum excessum non ponatur, tamen quasi ad notandum alteritatis excessum *siquo* ablatiuum regit. (5) De *minus* aduerbio positio iuncto comparatiuum contrariae significationis notante, et pro *non*, ut hic, posito, Priscianus 3<sup>o</sup> maioris, sic eleganter ait: «*Minus* autem aduerbium est, quando cum positio iunctum contrariae significationis comparatiuum demonstrat, ut *minus stultus pro prudentior*. P. Terentius in *Eunucho* (226-27):

"Hoc nemo

Fuit minus impetus",

pro *prudentior*. Est enim quando pro *non* aduerbio ponitur, ut *minus bonus* pro *malus*. *Magis* quoque aduerbium non solum positio iungitur, sed etiam comparatiuo, quando ipse comparatiuo uel ad se uel ad alium comparatur, ut *Achilles Aenea fortior magis quam iustior*; et *Ajax Vluxe fortior magis quam Diomedes*. (6) Idem dicit in XV, ubi de comparatiuis agit: «Comparatiua ut *magis, minus*. Hoc cum aduersa qualitate coniunctum contrariae qualitatis comparatiuum significat, ut *minus prudens*, pro *stultior*, et *minus stultus* pro *prudentior*». Hoc Petrus Heliae hic confirmat. Laurentius Vallensis et ego post eum in *Elegantis* libro I, capitulo XIII<sup>o</sup>, super *minus* et *quo minus* et *quo secus*, sic inquitur: «*Minus* pro *non* semper feré accipitur. (7) Frequentissime tamen iunctum aut cum *sin* aut cum *quo pro ut*. *Sin minus*, id est *si non*; *quominus*, id est *ut non*, sicut *quo secus* etiam pro *ut non* ††. Placet autem *minus* non modo a *paruum* uenire, sed etiam a *parum*, ut *parum pecuniae habeo*, non autem *paruum pecuniae*, ergo *minus pecuniae* ad *parum pecuniae* potius quam ad *paruum pecuniae* uidetur referri. *Magis* uero aduerbium comparatiuum est pro *maius*, quod in usu non est. Comparatiua autem pro *magis* uti superlatiua per *maxime* exponi debent. De *nihilominus*, *paulominus*, *quominus* et *siquominus*, supra, libro 2<sup>o</sup>, sub uersiculo *Catholicon uero dicit*, et uersiculo sequenti, scilicet *Aegidius uero*, aliquantulum retuli. (8) Quod autem *quominus* pro *ut non* debeant intelligi ††. Rubrica declarat libro II *Digestorum*, *De eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat*. Et Paulus *l. II*, et *Vlpianus l. fi. eod. tit.* Item *comminus* pro *iuxta* uel *prope* uel *presentialiter* adiici. Imperator in *l. fi. in iudicio* glosa super uerbo *comminus C. De legi* (C. 14, 12), ante oculos collocat. Dicitur enim ibi: «Si imperialis maiestas causam cognitionaliter examinauerit, et partibus *comminus* constitutis, sententiam dixerit,

omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant hoc esse legem, non solum illi causae pro qua producta est, sed omnibus similibus», et super uerbo *comminus* glosa dicit: «Id est praesentialiter, alias non ualet, ut *ff. De re iudi. de uno quoque* exponit, id est principaliter. Vide supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Ego autem hic*, carta 127, *comminus* adiicio (cf. supra 2, 10, 1; 2, 37, 3; Prisc. 3, 17; 15, 36; Helias *ibid.*; Valla, *Eleg* 1, 12).

## XXV. Quantus.

[1] *Quantus* secundum 82 regulam ab hoc accusatio *quam* deriuatur, et *quantus*, -a, -um dicitur. Sciendum autem relatiuum *quantus* referens *tantus* genus a sequenti dictione trahit, Salustius in *Iugurtini* principio (1, 1, 5): «Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac pro futura nihil multoque etiam periculosa appetunt, neque homines regerentur magis quam regerent». Casus uide supra, sub § *Salustius igitur*. Item *tanti* et *quanto* cum *minus* utriusque adiecto, in nominatio regente genitiuum reperio. T. Liuius totius operis prohemio (1, 1): «Adeo quanti minus rerum, tanto minus cupiditate erat», (2) ubi dic secundum Petrum Heliae circa finem primo minoris, et post principium secundi, quod hic genitiuus pro nominatio debeat accipi et non a *minus* sed a uerbo *erat* intransitiue per antitosisim sintosimque regatur, quasi dicens *quanto minores res, minor cupiditas erat*. Hunc T. Liuii textum, supra, sub § *Tametsi multa*, uersiculo *Ceterum*. Insuper *tantum* et *quantum*, ut nihil et multum post se genitiuum praedicto modo excusandum constituunt, et admittunt et ornatorem orationem reddunt. (3) T. Liuius *De bello Punico* 2<sup>o</sup>, in VIII principio, supra, in uersiculo *Idem Liuius in VIII principio* (28, 1, 1): «Quantum in Italia declinauerat belli, tantum leuatae Hispaniae uideretur». (4) Item L. Florus libro 4<sup>o</sup>, capitulo 2<sup>o</sup>, supra, uersiculo *Sic praecipitantibus fatis*, ibi (Flor. 4, 2): «Sic praecipitantibus fatis». Et infra: «Nunquam ullo loco tantum uirium populi Romani, tantum dignitatis fortuna uidit: CCC amplius milia bellatores hunc illinc praeter auxilia regum et senatus». (5) Deinde Iustinus libro I, supra, sub § *Postquam*, uersiculo *Erat inter coniuratos Darius*, ibi (Just. 1, 9): «Equi custos ait res uictoriam moraretur, nihil negotii superesse». Insuper Q. Curtius libro 3, uersiculo *Tum uero*, ibi (Curt. 3, 11, 5): «Tum uero multum sanguinis fusum est». Insuper *quantus* geminari solet, id est *quantusquantus* et pro *quantuscunque* accipitur, ut ceteris infinitis contingit. (6) Praeterea *quantus* pro *quis* poni reperitur, non econtra. Demum *quo* pro *quanto* suum antecedens in tanto habens. Terencius in *Phormione*.

«Quo magis noui tanto saepius»,

*quo* pro *quanto*. Haec Priscianus primo minoris, § *Et praeterea*, et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Priscianus primo minoris*, dixi (cf. supra 3, 14, 1; 3, 15, 3; 3, 15, 35; 3, 16, 19; 3, 17, 3; 3, 18, 2; 2, 10, 9; Prisc. 17, 44-ss.).

[2] Et fit *quantitas* a genitiuo *quantū* addita, *tas*, denotatiuum nomen. Quantitatis autem aliud continuum, aliud discretum est, et quid utrunque horum sit, condicionesque ipsorum, Aristoteles in *Praedicamentis*, in capitulo *Quantitatis*, et ibi Petrus Hispanus docent, et supra, in 8 regula est relatum. (2) Nam et Petrus Hispanus post Aristotelem illic quantitatis comitantes docens, sic inquit (Arist. *Categ.* 4b20; Petr. Hisp. *ibid.*): «His uisis, uidendum est de comitantibus quantitatis. Prima communitas est, quod quantitati nihil est contrarium, ut bicubito, tricubito; superficiei, nihil est contrarium, quia contrarietas primo inest quantitibus et non omnibus sed quibusdam, quantitas autem non est qualitas, ergo contrarietas non est in quantitate. Item quantitas non suscipit *magis* et *minus*. Non enim una linea est magis quantitas quam alia linea, et quaternarius non est minus numerus quam quaternarius. Item proprium est quantitatis secundum eam aequalem uel inaequalem dici, ut numerus est aequalis uel inaequalis alii numero, et corpus alii corpori, et linea alii lineae. Et ita de aliis» (3) Aristoteles hic plenius exprimit, pernota saltem illud: «Amplius quantitati nihil est contrarium, ut bicubito, tricubito; uel superficiei, uel alicui talium nihil est contrarium. Nisi quis multa dicat paucis esse contraria uel magnum paruo. Horum autem nihil est quantitas, sed magis ad aliquid sunt. Nihil enim per se ipsum magnum uel paruum dicitur, sed ad aliquid refertur». (4) Et infra: «Amplius siue aliquis ponat has esse quantitates, siue non ponat, nihil erit eis contrarium. Quod enim non est sumere per se ipsum sed ad solam alterius relationem refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius autem si erunt magnum et paruum contraria, continget idem ipsum simul recipere contraria. Et ea ipsa sibi esse contraria. Continget enim simul. Idem magnum et paruum esse. Est enim aliquid ad hoc quidem paruum, ad illud uero hoc ipsum magnum. Quare illud idem magnum et paruum in eodem tempore esse contingit. Quare simul contraria suscipiet. Sed nihil est quod uideatur simul contraria suscipere posse, ut substantia susceptibilis quidem esse contrariorum uidetur, sed non suscipit uno eodemque tempore, nam nullus simul sanus est et

aeger, nec albus et niger simul, nihilque aliud contraria suscipiet. Et eadem sibi ipsis contingit esse contraria. Nam si est magnum paruo contrarium, ipsum autem simul est magnum et paruum, ipsum sibi erit contrarium, sed impossibile est ipsum sibi esse contrarium». (5) Et infra: «Sed non uidetur quantitas suscipere *magis* et *minus*, ut bicubitum, neque enim est aliud alio magis bicubitum neque in numero, ut ternarius quaternario. Nihil enim magis tria dicentur quam quinque. Nec tria potius quam alia. Nec tempus aliud alio magis et minus dicitur. Nec in his quae dictae sunt, omnino aliquid magis et minus dicitur. Quare quantitas non suscipit *magis* et *minus*. Proprium autem quantitatis maxime est quod aequale et inaequale dicitur. Singulum enim earum, quae dictae sunt, quantitatatum, aequale dicitur et inaequale, ut corpus aequale et inaequale dicitur, et numerus aequalis et inaequalis dicitur, et tempus aequale et inaequale dicitur. Similiter autem et in aliis quae dicta sunt, singulis aequale et inaequale dicitur. In ceteris uero, quae quantitates non sunt, non multum aequale et inaequale uidetur dici. Nanque affectio aequalis et inaequalis non multum dicitur, sed magis similis et dissimilis. Et album aequale et inaequale non multum dicitur, sed similem. Quare proprium est quantitatis aequale et inaequale dici». (6) De *quantus* autem et *quantitas* *quantitatiuus*, *-a*, *-um* uenit. Et ablatiuus de *quantus* pluralis ut *quantis* cum *per* componitur, et *quantisper* dicitur, id est quantum, ut *quantisper res ista ualeat*, et *tantisper* respondendum est. Sciendum autem *quantus*, *-a*, *-um* de quantitate continua quaerere, ad quod per nomina quantitatiua respondere debemus, ut *quantus es? monocubitus, bicubitus, tricubitus, magnus, paruus*. Sed *quot* de quantitate discreta seu numero quaerit, ideo per nomina numeralia facienda est responsio, ut *quot isti sunt? duo, tres, quattuor*. (7) Vnde Papias dicit: «*Quanta*, quammagna, quamparua». Et Iacobus in epistula sua (3, 15): «Ecce quantus ignis quam magnam siluam incendit», id est quamparuus ignis, quam magnam siluam incendit. *Quantus* et *tantus* ad mensuram, *quot* et *tot* ad numerum pertinent. (8) Haec *Catholicon* et *Compraensorium* attestantur. Ad quorum confirmatione Nicolaus Perottus facit, qui capitulo *De relatiuis* uersiculo *Relatiua accidentis* (fol. k2r.), ait: «Relatiua accidentis multa sunt secundum diuersa genera accidentium, quae per nomina adiectiua significantur. Adiectiuorum enim quaedam significant quantitatem, quaedam qualitatem. Adiectiuorum quae significant quantitatem, alia significant quantitatem continuam, alia discretam. Quae sunt adiectiua quae significant quantitatem continuam? ut *magnus, paruus, longus, latus, altus, profundus*. Quae referuntur per *quantus* et *tantus*, ut *ego sum magnus, quantus es tu?* uel *ut tu*, uel *ego sum magnus et tantus es tu*. Item per *tam* et *quam* dicimus, ut *ego sum tam magnus quam tu*. Ex his quae significant quantitatem discretam, alia significant quantitatem discretam absolutam, alia quantitatem discretam ordinalem. (9) Quantitatem discretam absolutam significant quae referuntur per *quot* et *tot*, ut *ego habeo X talenta, quot habes tu*, uel *ut tu*. Et sunt haec *unus, duo, tres, quattuor*, usque ad *centum* indeclinabilia sunt. *Quinque, sex, septem, octo, nouem, decem, undecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quindecim, sexdecim, decem et septem, decem et octo*, uel *duodeuiginti, decem et nouem*, uel *undeuiginti*, et cetera. *Centum, centum et unus*, uel *unus supra centum*, et cetera. *Ducenti, -tae, -ta, tricenti, -tae, -ta, quadringenti*, et cetera. (10) Quantitatem ordinalem discretam significant, quae referuntur per *tantus* et *quotus*, ut *ego fui secundus, quotus*, uel *ut non fuisti tu*. *Quotus quisque es?* quasi nemo. Et sunt haec *primus, secundus, tertius*, et cetera». *Catholicon* in *quantus* ait. (11) *Quamuis* est *quanquam* et *licet* aduersatiua coniunctio, et in penultima acuitur, et *quamuis* pro *quantumuis* multis in locis inuenitur. *Quamlibet* quoque *licet* et *quamuis* significat, sed acuitur antepenultima. Gregorius (*Hom.* 1, 5, 2): «Multum reliquit qui quamlibet paruam totum deseruit». Similiter et in *quandiu*, quando pars una est, antepenultima uenit acuenda, et per *-n* *quam* debet scribi, secus quando duae partes sunt. (12) Et *interdum, aliquandiu*, ut *quandiu* componi possunt, et *diu* simplex tempus determinatum et indeterminatum dicit, ut *dies, interdum* est, *interim* dum *dies* est, unde *interdius, -a, -um*, id est *continuus*, iugis, et in eodem sensu *perdius, -a, -um*, a *per* et *diu* compositum reperitur. *Interdiu* quoque pro *inter diem* et noctem collocatur. Cicero libro II<sup>o</sup> *Ad Herennium*, § *Signum est*, uersiculo *Tempus* (2, 7): «Tempus ita quaeritur, qua anni parte, qua hora, noctu an interdium, et qua die, qua noctis hora factum esse dicatur, et huiusmodi temporibus». (13) *Aliquandiu* secundum Hugutionem ex *aliquantum diuque* componitur, et *aliquantisper* significat (cf. Hugutio *De dub. acc.* -Cremascoli p. 73-). Et *quamdiu* una pars composita, usque ad quem finem, usque ad quod tempus, secundum Papiam dicit, sed *quamdiu*, quando duae partes sunt, quam longo tempore notant. (14) *Quanquam* et similia *-m* ante *-q* habentia per *-n* scribi debent. *Quantillus* et *quantulus* diminutiua de *quantus*. *Quantocius* a *quanto* et *ocius* aduerbio compositum, id est quanto ocius, uelocius, cicius. *Quanto minus* duae partes sunt, ut *quanto magis*, et duobus accentibus proferendae, ut Hugutio in libro *De dubio accentu* tangit. Haec *Catholicon* magna ex parte refert, *Compraensoriumque* confirmat adiiciens: *Quantillus, -a, -um*, id est modicum, minimum, diminutiuum de *quantus*. *Quantisper*, id est quantum, syllabica est adiectio. *Quantitas, -atis* est

mensura per quam aliquid magnum paruumque ostenditur. (15) Quantitatis proprium est quod aequale et inaequale sit. Quantitatis aliud continuum, aliud discretum, et aliud ex habentibus positionem ad se inuicem suis partibus constat et aliud ex non habentibus positionem. Est autem discreta quantitas numerus et oratio. Continua uero linea, superficies, cubitum, bicubitum, tricubitum, corpus, praeter hoc locus et tempus. (16) Proprie autem quantitates hae sunt: alia sunt per accidens, ad hoc enim aspicientes, et alia dicimus quantitates multum, paucum, magnum et paruum. Et actio longa, quod tempus longum sit. Et motuus multus, ut quia multo tempore cucurrit, quantitati nihil est contrarium, nisi quis dicat multa paucis uel magno paruum contrarium, sed haec magis sunt ad aliquid. *Quantulus*, -a, -um, aliquantulum quantus. *Quapropter*, quamobrem, propterea, quo pacto. *Quaquauersu*, ex omni parte, circumque. *Quare*, propter quam rem, pro *quo*, *cur*, *itaque*. (17) Haec *Compraensorium*, uerum si *tanti quantique* et suorum compositorum naturam etiamque *pluris* et *minoris* cognoscere uolueris, Laurentium Vallensem et meum *Elegantiarum breuiario*, libro 3<sup>o</sup>, capitulo I III<sup>o</sup>que perspicias.

[3] 83. *Quousque*, Prisciano teste primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Quousque* et supra, sub dicto uersiculo *Quousque*, libro 2<sup>o</sup>, id est usque ad quod tempus uel usque ad quem locum, et interrogatiuum et infinitum et relatiuum potest esse. Vide ibi, et secundum *Catholicon*, *Compraensorium*que: «*Quousque*, id est quamdiu, et sic est temporis aduerbium, et dic quamdiu, id est usque ad quem finem, et tali interrogationi responderi debet *usque ad tres dies*, uel *annos*, et similia. *Quousque*, id est usque ad quem locum, et sic aduerbium locale est, unde uersus: "Tempus siue locum dic significare quousque". Dixi supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Quotidie*, uersiculo *Catholicon*, in fine cartae 112. (2) *Quur* interrogandi aduerbium a *qui* deriuari potest, et sic per -q- et geminum -u- scribi debet, uel a genitiuo *cuius* de *qui* potest oriri, et tunc per -c- et unum -u- scribitur, et ita recentiores doctores scribunt, sic *Catholicon* et *Compraensorium* attestantur. (3) In quibus inuenitur: *Cum* est praepositio et ablatiuo seruit, et per -u- et -m- scribitur, et solum per appositionem uenit, nisi cum *que* addita, ut *quicunque*, *utcunque*. Aliquando est causalis coniunctio, et huic coniunctioni *cum* non alia reddenda est coniunctio, male nanque dicitur *cum de uestra confidam materia, ideo, praeterea*, uel *iccirco, ad uos confugere non formido*. Vnde quidam sermo damnatur, *ideo si cum* comitatur. Aliquando *cum* temporis est aduerbium, pro *quando* et secundum *Compraensorium* solum quamprimum, festinanter, citius denotat, et per -q- et duplex -u- debet scribi (cf. supra 2, 15; Prisc. 17, 51).

[4] 84. *Qua* secundum *Compraensorium* unde, quomodo, in qua parte, qua ratione, in quantum dicit. *Qua* interrogatiuum est per locum, ut *qua transisti? Hac, illac, istac* responsiua sunt eius. ††. *Qua de re* secundum *Compraensorium*, propter quam rem, cur, quomodo, qua ratione. (2) *Qualis*,<sup>1</sup> ut puto, a *qua* ablatiui casus de *quis* uel *qui* deriuatur. Et *qualis*, -e, secundum *Compraensorium* nomen infinitum, relatiuum et interrogatiuum est, quando est interrogatiuum circumflectitur penultima, cum infinitum uel relatiuum acuitur ultima. De relatiuo tamen reor intelligendum esse quando in loco suo, scilicet post suum antecedens postponitur. Secus est si praeponatur, tunc enim per syllabas omnes grauatur, quippe cum tunc in proprio situ non sit, sed ad antecedens trahatur, et ideo non praedominantem accentum, sed grauem habeat, qui nunquam praedominans esse potest. (3) Ad hoc Priscianus in primo minoris, § *Et quemdamodum*, carta XII, facit aperte, iunctis ibi scribentibus. Vide supra, libro 2<sup>a</sup>, uersiculo *Idem in eodem*, § *Et quemadmodum*, carta XII. *Qualia*, -ae quaedam auis secundum *Catholicon* et *Compraensorium* est, a *qualis* dicta uel a uoce quam facit, scilicet *qua quare* (cf. supra 2, 7, 4; Prisc. 17, 39).

#### XXVI. *Qualitas quid est.*

[1] 85. *Qualitas* est per quam qualis quisque sit ostenditur, ut sapiens, formosus. *Qualitas* dicitur sola res ipsa, quae participari possit. Haec *Compraensorium* secundum quod et *Catholicon* et Petrum Hispanum et Aristotelem in *Praedicamentis* (cf. Arist. *Categ.* cap. 108 –Minio Paluello vol. 1, 1-5, p. 158-). *Qualitas* est, secundum quam quales dicimur, ut secundum albidinem dicimur albi et secundum colorem colorati, et secundum iusticiam iusti. (2) *Qualitatis* autem quattuor sunt species: prima sit habitus et dispositio. Differunt autem, habitus enim permanentior est et diuturnior, ut uirtutes et scientiae. Scientiae nanque mouentur difficile, nisi ab aegritudine uel ab alio huiusmodi fiat permutatio. Similiter et uirtus et iusticia castitasque singulaque huiusmodi, non uidentur nec moueri nec facile permutari

<sup>1</sup> *Glossa*: *Qualis* secundum opinionem meam a *qua* ablatiui casus de *quis* uel *qui* deriuatur. Nec abs re *secundum opinionem meam dixi*, quia in hoc nullum auctorem repperi.



posse. (3) Dispositiones<sup>2</sup> uero dicuntur quae facile moueri et permutari possunt, ut calor et frigiditas, aegritudo et sanitas, aliaque huiusmodi. Afficitur enim quodammodo circa eas homo, cito nanque permutantur, et ex calido fit frigidus et ex sanitate in aegrotationem transit. Idem in aliis, quacunque sint huiusmodi, nisi in his, quae per temporis longitudinem, in cuiusque nam transferri contingunt, ut insanabilis, uel difficile mobilis existat affectus, qui uocetur habitudo. (4) Nec dubium haec habitudines appellari, quae difficile mobilia et diuturniora sunt. In disciplinis enim non retinentes diu, sed facile mobiles habitum non habere dicuntur, quamuis ad disciplinam melius peiusue sint dispositi. Quare habitus in hoc a dispositione differt, quod haec quidem facile, ille uero sit diuturnior, et difficulter quod perdatur. Habitus autem dispositiones sunt, non econtrarius. Qui nanque retinent habitum, ad ea quae habent peius uel melius sunt dispositi. Dispositi uero non habitum omnino retinent. (5) Secunda species qualitatis est naturalis potentia uel impotentia, quippiam faciendi uel patiendi facile ut dicitur sanatius, eo quod naturalem potentiam habeat, ut nisi a quibusdam accidentibus patiatur. Aegrotatius autem naturalem patiendi habeat impotentiam. Durum quoque naturalem potentiam non cito secandi habet. Molle uero eius ipsius habet impotentiam. Cursores uero et pugillatores dicuntur similiter, non quod exerceant actus illos, sed quia habent naturalem potentiam hoc facile faciendi. Non enim qui aliquo modo sunt dispositi, ununquocque huiusmodi dicitur, sed quia potentiam uel quid facile faciendi uel nihil faciendi naturalem habent. Pugillatores<sup>3</sup> enim cursoresque dicuntur non quia per artem sint dispositi, sed quia potentiam naturalem habeant hoc facile faciendi. (6) Tertia species qualitatis est passio et passibilis qualitas, ut qualitates illae, quae in sensibus passiones efficiunt, ut in gustu dulcedo, amaritudo et similia. Amplius calor et frigus, et albedo et nigredo. Quod autem hae qualitates sint ex dicendis patet. Quaecunque enim ista suscipiunt, qualia dicuntur secundum ea, ut mel quantum dulcedinem suscipit dulce dicitur, et corpus album eo quod albedinem suscipit. Similiter autem se habet et in ceteris. (7) Vel illae qualitates sub hac sunt specie, quae a quibusdam passionibus difficile mobilibus et permanentibus generantur, siue enim nigredo ab aliqua naturali passione seu aegrotatione uel aestu generetur, qualitas dicitur. Quoniam ergo fiunt per aliquam passionem multae colorum mutationes, ex dicendis palam est. Erubescens aliquis rubeus est, erubescit enim homo propter aliquid turpe uel aliquid apprensibile extrinsecus, quod calorem extrinsecum et maxime uersus cor aggenerat, ubi magis calor uitalis uiget, et ideo magis ibi sanguis est purissimus, qui quidem sanguis causa rubei coloris est. Itaque si calor uitalis ibi consisteret, tum propter calorem ex uerecundia congregatum tum propter calorem naturalem suffocaretur homo. (8) Natura uero sagax sui saluationi studens per singula membra discurrit, suscitando et a corde sanguinem extrahendo, et sanguis ille potissimum faciei, defectu ex pudore patienti occurrit, et cum ille sanguis uitalis alio sit rubicundior uelut uiuacior et purior, facies rubicunda fit. Econtrario timens est pallidus, cum enim aliquis timet, frigescit maxime circa cor, unde calor naturalis harmoniam complexionum conseruans natura in corpore ad sui ipsius saluationem per singula quoque membra concurrit, et sanguinem qui calidus est et humidus, ad confortandum cor attrahitur, ex cuius sanguinis attractione concursuque facies a sanguine deserta fit pallida. Et ita pallor generatur, denique colorum unusquisque ex passionum aliqua generatur. Quare si quis naturaliter aliquid talium passus est, similem colorem eum oportet habere. Quae enim affectio nunc ad uerecundiam circa corpus facta est. Et secundum naturalem passionem eadem fiet affectio, ita ut naturalis color similis ei sit. (9) Quaecunque igitur talium casuum ab aliquibus passionibus difficile mobilibus et permanentibus superserunt principium, passibiles dicuntur qualitates, siue enim secundum naturalem subsistentiam pallor aut nigredo facta sit, qualitates dicuntur. Quales enim secundum eas dicimur, siue propter aegritudinem longam uel propter aestum aliquid tale contingat, ut nigredo uel pallor, et non facile praeteritur. Et in uita permanet, qualitates et ipsae dicuntur. Similiter et quales secundum eas dicimur. Quaecunque uero ex his, quae facile soluuntur citoque transeunt, fiunt, dicuntur passiones. (10) Non enim dicimur secundum eas quales. Neque enim qui propter uerecundiam rubeus factus est, rubeus dicitur. Nec cui pallor propter timorem uenit, pallidus est, sed magis qui aliquid passus sit. Quare huiusmodi, id est rubedo et pallor accidentaliter aduenientes et cito transeuntes

<sup>2</sup> Glossa: Textus Aristotelis habet *affectiones*, Petri uero Hispani *dispositiones*.

<sup>3</sup> Glossa: *Pugillatores* secundum Boetium a naturali potentia quam ad pugnandum habent dicuntur. *Pugiles* uero ab arte pugnatoria. Dicit enim Boetius (?): «Cum aliquos ualidi corporis intuemur, notandum pugiles nec huius artis peritia imbutos, eos pugillatores dicimus. Non in ea quae iam sint pugiles, sed eo quod esse possint».

dicuntur passiones, qualitates uero minime. Vt autem contingit in antedictis corporis qualitatibus, sic et animae passibiles qualitates passionesque dicuntur. Quaecunque enim mox in nascendo ab aliquibus fiunt passionibus, qualitates appellantur, ut dementia uel ira uel alia huiusmodi. Quales enim secundum eas dicimur iracundi, dementes. Similiter autem et quaecunque alienationes, non naturaliter sed ab aliquibus casibus factae sunt, difficile praetereuntes et omnino immobiles et huiusmodi qualitates sunt. Quales enim et secundum eas dicimur. (11) Quaecunque enim ex his, quae citius praetereunt, fiunt, passiones dicuntur, qui in huiusmodi passione iracundior est, sed magis aliquid passus. Quare haec passiones, non autem qualitates dicuntur. Quartum genus qualitatis est forma, uel circa aliquid constans figura, ut dispositio corporis, ut triangulario et quadrangulario, et rectitudo et curuitas. Et siquid his simile est, secundum enim unumquodque eorum quale quid dicitur. (12) Triangulum uero uel quadrangulum, quale quid dicitur et rectum aut curuum. Rarum uero et asperum et spissum et lene putabuntur qualitatem significare. Sed aliena huiusmodi a dictione qualitatis uidebuntur. Quendam enim partium positionem quodam modo habere uidentur. Spissum quidem est in eo, quod partes inuicem propinqua sunt. Rarum uero eo quod ab inuicem distent. Et lene quidem in eo quod in rectum partes iaceant. Asperum uero quod haec quidem pars superet, illa uero sit inferior. Et alii fortasse modi qualitatis apparebunt, sed hi sunt qui maxime frequentantur. (13) Qualitates ergo sunt quae diximus. Qualia uero sunt, quae secundum haec denominatiue dicuntur, uel quomodolibet ab his aliter, ut a calore candidus, a grammatica, grammaticus et a iusticia iustus. Similiter autem et in aliis. In aliquibus uero eo quod non sunt posita qualitatibus nomina, non contingit ea, quae dicuntur ab eis denominatiue dici, ut cursor uel pugillator, qui secundum potentiam naturalem dicuntur, a nulla qualitate denominatiue dicuntur. Non enim nomina ualitudinis posita sunt, secundum quas quales isti dicuntur, sicut in disciplinis secundum quas pugillatores uel palestrici secundum affectiones dicuntur. Pugillatoria enim disciplina et palestra dicitur. Quales uero ab his denominatiue dicuntur, hi qui afficiuntur. (14) Aliquotiens autem et posito nomine, denominatiue non dicitur id quod secundum eam quale dicitur, ut a uirtute studiosus. Dicitur enim uirtutem habendo studiosus, sed non denominatiue a uirtute. Non autem in multis hoc tale est. Qualia ergo dicuntur quae aut denominatiue a qualitatibus dicuntur aut quomodolibet aliter ab eis. (15) Et ita tres modi sumendi quale a qualitate sunt. Inest autem quantitatibus contrarietas, ut albedo nigredini et iusticia iniusticiae sunt contraria. Hoc autem qualitatis non est proprium, quia non omni qualitati conuenit. Figura enim non habet contrarium, neque aliquis color medius. Item si unum contrariorum quale fuerit et reliquum, ut iusticiae iniusticiae contrarium est. Iusticiae quidem qualitas est, ergo et iniusticia. Et iustum quale est, ergo et iniustum. (16) Insuper qualitas magis et minus suscipitur, iustus enim magis et minus dicitur, et grammaticus et albus, sed hoc non est proprium qualitatis, quia quadratum magis et minus non suscipit, neque circulus neque quadrangulatio neque circulatio. (17) Tandem proprium qualitatis est secundum eam simile dissimiliue dici, ut albus albo similis dicitur, et iustus iusto. Albus autem nigro dissimilis». Haec sunt, quae ab Aristotele Petroque Hispano in eorum *Praedicamentis* scribentibusque ibidem desumpsimus, ut quae ad hanc regulam super qualitate spectarent, copiosius haberetur.

#### XXVII. Quot.

[1] 86 regula est. *Quot* a *quo* ablatiuo deriuatum, omnis generis, nomen est monoptymum et indeclinabile. *Hi* et *hae* et *haec quot*, genitiuo *horum* et *harum* et *horum quot*, et cetera. Cui numeri cardinales respondent: *unus*, *duo*, *tres*, et ceteri. *Quot* autem relatiuum, interrogatiuum et infinitum est. Interrogatiuum uel infinitum acuitur, relatiuum in lectione grauat. (2) De accentu uero *quis* uel *qui* Priscianus in XIII<sup>o</sup> et de accentu nominum interrogatiuorum et relatiuorum aduerbiorumque primo minoris, § *Et necesse est*, carta IX, et § *Et quemadmodum*, carta XII, et § *Quaeritur cur pronomina*, uersiculo *Et necesse*, carta 36 et 37 perspice. Nec omittas quod scripsi supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Sciendum autem in XIII<sup>o</sup>, carta 3*, usque ad § *Tempestiuum est*, et quippiam in regula 84 dixi. (3) Licet autem secundum Pomponium apud Vlpianum, ut latine dici potest *in annos singulos* uel *quot annis*, sic *in singulos menses* uel *quot mensibus*, et *in singulos dies* uel *quot diebus*, tamen Laurentius in suis *Elegantis*, libro VI<sup>o</sup>, capitulo LXIII<sup>o</sup>, non approbat *in quot mensibus* et *quot diebus*, sed *singulis mensibus* et non *quot mensibus*, et *quotidie* et non *quot diebus* latinus dici tenet. Verum tanta est uel in bona latinitate iureconsultorum auctoritas, ut ne modum quidem loquendi illum *quot mensibus* et *quot diebus* carpendum esse censerem, sed frequentius apud summos auctores *quotidie singulisque mensibus* inueniri dico. (4) *Quotennis*, id est quot annorum, a *quot* et *annus*, cui

respondetur *biennis, triennis* uel *binus, trinus*, uel per hunc genitiuum *annorum* cum nomine numerali, ut *duorum, trium quattuorue annorum*. *Quotennus, -a, -um*, id est quot annorum secundum *Catholicon* et *Compraensorium* dicit, *quotennus*, id est usque ad quem numerum uel terminum. *Quotidie*, id est per quot dies uel per unumquemque diem, aduerbium temporis per *-q-* scribendum, cum a *quot* et *dies* sit compositum, unde *quotidianus, -a, -um*. (5) *Quotiens* numerale aduerbium, id est quot uicibus, cui respondetur *semel, bis, ter, quater* et similia. Interrogatiuum quoque est, relatiuum et etiam infinitum, et deriuatur a *quotus*, et *quotienscunq; syllabicatur*. *Haec tum ex Catholicon*, tum ex *Compraensorio* excerptimus. Nec obliuioni tradamus quod Priscianus primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Eandem habent differentiam*, sic ait: «Similiter quot certum desiderat numerum. (6) *Quotquot* uero uel *quotcunq;* ad uniuersos confuse dicitur». Dico supra plenius, libro 2º, § *Priscianus primo minoris*, uersiculo *Eandem habent differentiam*. *Quotiens* secundum Laurentium, me quoque referente in meo *Elegantiarum breuiario*, libro IIº, capitulo L, pro *quando* accipitur. Nam Cicero fere nunquam utitur, nisi *totiens* addiderit. supra, libro 2º, uersiculo *Quotidie*, de *quot* sat dissero (cf. supra 2, 7, 2; 2, 10, 11; 2, 30, 1; Prisc. 13, 29-31; 17, 44; Valla, *Eleg.* 2, 50; 6, 46).

[2] Ad maiorem regularum proxime datarum super *quis* uel *qui*, *quantus*, *qualis* et *quot* intelligentiam potest adiungi quod Nicolaus Perottus in capitulo *De relatiuis*, § *Relatiua quae incipiunt*, sic ait (fol. k4r.): «Relatiua quae incipiunt a *-c-* uel a *-q-* tribus modis accipiuntur: relatiue, ut *ego sum albus, qualis es tu; magnus, quantus es tu; Sentinas cuiás es tu*. Interrogatiue, ut *qualis es tu? quantus es tu? quotum annum agis? qua nummos habes?* Infinitive ut *nescio quantus sis, cuiá sis, aut cuiá filia sit haec puella*. (2) Relatiua quae incipiunt a *-t-* capiuntur relatiue copula mediante, ut *ego sum albus et talis es tu, ego sum magnus et tantus est Plato, ego habeo multos discipulos et tot habet Socrates*. Redditiue, ut *ego sum talis et tantus, qualis et quantus est iste*. Infinitive, quando sequitur coniunctio *quod* uel *ut*, ut *ego sum talis et tantus, ut non egeam opera tua, ego cupio talis esse ut felix uidear*.

[3] 87. Inter *in diem* et *in dies* et *quotidie* est differentia. *In diem* nanque plerunq; cum hoc uerbo *uiuít*, aliquando sed raro cum alio uerbo iungitur. *In dies* autem *quotidie* denotat sed proprie cum incremento quodam, iccirco plerunq; copulatiuo copulatur, ut *cum in dies tyrannis crudelius premeret*. (2) Item sine copulatiuo sed per uerbum incrementum notans, ut Liuius (21, 25, 14): «Crescente in dies multitudine», quod dicere non liceret, *concurrente in dies multitudine*, sed *quotidie* aut *in dies* magis. Licet tamen et superiora exempla per *quotidie* dicere, ut *cum quotidie tyrannis crudelius premeret*, et *crescente quotidie multitudine*, et *per singulos dies* dici potest, ut Cicero *Ad Atticum* (5, 7, 1): «*Quotidie*, uel potius *in dies*, singulos breuiore litteras ad te mitto», id est non modo *quotidie* breuiore, sed etiam *in dies*, nam hae *quotidianae* litterae iis breuiore sunt, quas antea solebam mittere, quae pari breuitate poterant esse omnes. Atque eae quas *in dies* singulos siue *in dies* mitto breuiore, tales sunt, ut *hodiernae* breuiore sint *hesternis* et *crastinae* *hodiernis*, et *perendinae* *crastinis*, et ita assidue. (3) Et inter haec duo *pestilentia fit in dies maior* et *quotidie maior fit* differri uideri possunt, quae in hoc, id est *quotidie maior fit*, quattuor supra numerum *hesternum* decesserit qui *nudius tertius diem suum* obierant. Non ita in illo in quo dicitur *fit in dies maior pestilentia*, ubi quisque *dies ultimus* increscit maxime, ut si *nudius tertius XII*, decesserunt, *heri XIII*, hodie necesse est saltem *XVII* decedant, *cras saltem XXI*, *perendinae* sex et uiginti saltem. (4) *In horam* et *in horas* eandem quam *in diem* et *in dies* habent differentiam. Cicero in *Philippicis* (5, 25): «Nec qui in horam uiuunt, non modo de fortunis et bonis ciuium, sed ne de utilitate quidem cogitauerunt sua». Virgilius (*Buc.* 10, 73-74):

«Gallo, cui amor tantum mihi crescit in horas,  
Quantum uere nouo uiridis se subiicit alnus».

Sciendum tamen non esse de negandum dicere *in dies* et *in horas* siue *in dies singulos* et *in horas singulas* sine illa exacta ratione incrementi differentia. De hoc Laurentius et ego post eum in meo *Elegantiarum breuiario*, libro IIIº, capitulo 81, latius dicimus.

[4] *Quotus* a *quot* uenienti a *quo* ablatiuo de *quis* uel *qui* deriuatur, et numerale et ordinale est, ut *quotus est in bancho, primus, secundus; quotus es in ordine? quartus, quintus* id est acolitus, subdiaconus. Et hinc *quotiens* aduerbium et corripitur primam *quotus*. Vnde *aliquotus* penultimam corripens accentum in antepenultima habere debet. Hoc *Catholicon* in *quotus* et *aliquotus* scribit. (2) *Compraensorium* addidit: «Si quaeramus *quotus iste uenit*, numerum tibi signat, id est cum quot sociis. Si quaeramus *quotus iste sedet*, a me tunc ordo uocatur, id est primus, secundus». Et hoc ex *Graecismo* desumpsit, ut supra, 53 regula super quantitate huius nominis *quotus* in prima et accentu in *aliquotus* disserui. (3) Enimuero secundum

auctores praeclariores bonam latinitatem seruantes, nunquam fere nisi interrogatiue debemus uti, et pro *quot* intelligere, ut *quotus uenis?* id est cum quot et a quot sociatus uenis? Martialis (14, 218):

«Dic quotus es, quanti cupias cenare? Nec unum

Addideris uerbum, mensa parata tibi est»,

id est quot estis? et quot tecum habes? (4) Verumtamen si cum *quisque* iungatur, pro *nullus* uel *rarus* exponi debet. Cicero III<sup>o</sup> *De officiis*, § *Qui quidem Scaeuola* (3, 17, 72), sic eleganter ait: «*Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?*», quasi dicens *nullus* uel *rarus*. Idem Cicero *Pro Ligario* (26, 7): «*Quotus enim istud quisque fecisset?*», id est *nullus* uel *rarus*. Haec Laurentius et ego, libro I<sup>o</sup>, capitulo XVI, circa finem dicimus, et latius supra, libro 3<sup>a</sup>, inter Ciceronis exempla, § 3<sup>o</sup> *De officiis*, in uersiculo Idem sub § *Q. quidem Scaeuola*, explico. (5) Hoc tamen intelligeremus si *quotus* interrogatiue poneretur, secus si infinite. Nunc enim in sua communi natura debet accipi, ut Cicero 3 *Ad Herennium* facit (3, 18): «*Item putamus oportere ex ordine locus habere, ne quando perturbatione ordinis impediamur, quo secius, quoto quoque loco libebit, uel ab superiore uel ab inferiore parte imagines sequi*» (cf. supra 4, 17, 1; 2, 11, 3; 3, 8, 12; Valla, *Eleg* 1, 14).

### XXVIII. De syllabicatis a quis uel qui.

[1] Posteaquam de *quis* uel *qui* deriuatisque ab ipso diximus, de compositis dicemus, si prius de eodem syllabicas adiectiones habente dictum fuerit, ubi potius deriuatio quam compositio est censenda. Nam, Prisciano teste, *Catholicon* in 3<sup>a</sup> parte sui operis, in tractatus de figura, capitulo *De syllabicis adiectionibus* (3, 52) referente, licet adiectio syllabica speciem immutet, non tamen figura, quippecum ea nihil intelligibile in animo repraesentet, quam uis officium aliquid alteret dictionis. Ergo dictio syllabicam adiectionem recipiens speciei deriuatiuae erit, ut *plerusque* a *plerus*, et *egomet* ab *ego*, sed figurae non est compositae. Siquidem in plura intelligibilia diuidi non potest. (2) Itaque haec coniunctio *que*, si nullam uim coniunctionis habeat, per compositionem uenire non dicitur, ut *plerunque*, *utique itaque*, sed ubi quampiam uim exercent, compositionem faciet, ut *uterque*, *quisque*, *ubique*. Hic enim aggregationem quandam importat coniunctio, *uterque* nanque notat *unus* et *alter* et *quisque*, id est quicumque uel omnis, et *ubique*, id est ubicunque uel in omni loco significat. (3) Sed quamuis hoc teneat *Catholicon*, ubi supra, tamen in *quisque* et *ubique* non est uero compositio, ut in eodem loco et in uerbo *ubi* attestatur, et ego quoque libro 2<sup>o</sup>, § *Tempestiuum est*, usque ad § *Bonas autem latinitates*, dico. (4) Adiectiones autem syllabicae in fine dictionis apponi debent, quandoquidem alterationem quandam circa ditionis officium faciunt. Ergo sicut accentia, quae alterant, post substantiuum compositionem esseque completum solent accedere, sic adiectiones syllabicae ultimo aduenire et nunquam in principio poni debent. Inde liquet *siquis*, *nequis* et *nunquis*, ut *aliquis*, *ecquis*, *unusquisque* et *quisquis*, composita et non syllabica esse. (5) Cum igitur *quis* uel *qui* uelut omnium nominum confusissimum et quasi substantiae infinitae propter officiorum multitudinem uarias formas terminationesque recipiat, ut ita confusis in certitudinem redigatur. Sedecim inter compositiones et syllabicas adiectiones recipit, quippe compositiones VII: *siquis*, *nequis*, *nunquis*, *aliquis*, *ecquis*, *unusquisque*, *quisquis*. Et IX adiectiones, nam *quis* quinque: *quisnam*, *quispiam*, *quisputas*, *quisquam* et *quisque*. *Qui* uero quattuor: *quidam*, *quiuis*, *quilibet* et *quicumque*, ut supra, in dicto § *Tempestiuum est*, plenius dicitur. Ergo de *quis* uel *qui* syllabicatis tanquam deriuatis reuera et non compositis prius dicens regulas inceptas continuo, et prius *quis* syllabicum ingredior (cf. supra 2, 8-10; 2, 8, 1; Prisc. 15, 30).

[2] 89 igitur regula est. *Quisnam* a *quis* deriuatum simplicis, non compositae est figurae, quippe *nam* syllabica est adiectio, et ita deriuationem et non compositionem reddit, ut antedicta docent. Nam uero completiuam uel affirmatiuam causalemque coniunctionem significat. Priscianus enim, XVI maioris, in § *Completiuae*, uersiculo *Nam similiter*, scite sic inquit: «*Nam similiter quando enim est, quando tosarem*,<sup>4</sup> quando *de* Graecam coniunctionem completiuam uel affirmatiuam significat, ut Virgilius in IIII<sup>o</sup> *Georgicorum* (4, 45):

"Nam quae te iuuenem confidentissime nostras?"

Hic repetituae uim habet. Idem in V<sup>o</sup> (*Aen* 5, 13):

---

<sup>4</sup> *Glossa*: Expositionem non inueni, forte dictio graeca est, quae causalem significat, uel forte textus corruptus est. Et alia dictio graeca causalem significans uel causalem dictio latina esse debet, id quod sequentia exempla monstrant. (*apud Prisc.* 16, 15 τὸ γὰρ *inuenitur*).

"Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi".

Idem in primo *Aeneidos* (1, 65):

"Aeole (nanque tibi diuum pater atque hominum rex)",

hic causalis est coniunctio». (2) Licet autem *Catholicon*, *Alfonsina* et Tortellus de *nam* et *nanque* mentionem non faciant, nisi quoad secundum Seruium in *Alfonsina* dicat: «*Quiane* una particula est, et reuera significat, Virgilius III<sup>o</sup> *Aeneidos* (4, 538):

"*Quiane* auxilio iuuat ante leuatos".

*Quianam* pro *cur*, Virgilius V (*Aen* 5, 13):

"Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi!".

(3) Tamen *Compraensorium* sic habet: «*Nam*, *nunquid*, *nam* et *nanque* coniunctiones sunt causales». Laurentius uero Vallensis et ego post eum in meo *Elegantiarum breuiario*, libro II, capitulo LVI, praeter ea quae scribo eodem capitulo LIX, in additione magna referens Priscianum in § *Completivae*, uersiculo *Nam similiter*, dicimus hoc modo: «*Nam* et *nanque* quiddam simile habent, quod *ita* et *itaque*, quippe cum *nanque* soleat et primum locum sortiri et secundum, aliquando etiam tertium. *Nam* non solet, sed prima semper esse dictionum. (4) Praeterea hoc aliquando accipitur pro *autem* ad sententiarum distinctionem, ut *In Salustium* Cicero (*In Sall.* 8): "Nam quod in uxorem atque filiam meam tam petulariter inuectus es", idem ualet ac si dixisset *quod autem in uxorem*, et cetera, siue pro *quod uero*, ueluti saepe incipere solemus, ut idem: "Quod autem scribis, quid de exitu belli sentiam, magis consilium petere possum, quam ipse aliis dare". Idem *De oratore* libro primo (1, 247): "Quo uero uiros bonos iure ciuili fieri putas", et cetera. †† (5) Enimuero *nam* in *quisnam* syllabica est adiectio potius *nunquid* quam causalem coniunctionem uel affirmatiuam redolens. Et *quisnam* infinitatem dubiam incertamque importat, ut *quispiam* puram. Vnde *quisnam*, ut *quis*, interrogatiuum et infinitum est, non autem relatiuum, et infinitati sui primitiui *quis* dubietatem et incertitudinem adicit. Et ponitur interrogatiue dicendo: *quisnam legit?*, pro *nunquid quis legit?*, quasi dicens *non*, quippe interrogatio per *nunquid* facta responsionem negatiuam, ut per *nonne* et *haud ne* facta affirmatiuam petit», ut supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Num pene an significat* et uersiculo *Priscianus in XV* et uersiculo *Enimuero quod de num dixi et de nunquid dici potest*. Item *quisnam* stat infinite, cum dicitur *ignoro quisnam currat*, pro *an quis currat*. (6) *Nam* et apud Ciceronem *Ad Herennium*, libro II<sup>o</sup>, § *Cum a nobis crimen remouere uolemus*, sic habetur (2, 26): «Et quonam modo aut honeste aut sine periculo potuerit obsistere, hic enim repetendum est, quaerendum est», *quonam modo*, id est *nunquid* aliquo modo. Idem ad eundem, libro III<sup>o</sup>, in *Dubitatio* colore 3<sup>o</sup> (4, 40): «Item istud tu ausus es dicere homo omnium mortalium? Quaero, quonam te digno moribus tuis appellem nomine», quasi dicens *utrum nomine proditoris an alio nomine*. Sed et hic *quonam* interrogatiue stare posset, et tunc eum post *quaero*, et post nomine punctum interrogatiuum fiet. Enimuero in ultima uerborum exornatione *cuinam* Tullius ipse profecto interrogatiue posuit (*Her.* 4, 4,6): «*Nam cum canes funguntur officiis luporum, cuinam praesidio pecuaria trademus?*», quasi dicat *nulli poterimus tradere*. Sane Salustius in *Catilinario* (33, 5), in epistula C. Malli ad Martium regem, *quonam modo* infinite collocauit: «Neue nobis eam necessitudinem imponatis, ut quaeramus quonam modo maxime ulti nostrum sanguinem pereamus». (7) Et *utroque modo* praeclaros apud auctores id saepe reperitur poni. Hoc autem de *quisnam* censeo dici posse, licet apud uocabulistas nihil repperirem, nisi quod *quisnam* de syllabiis et ita deriuatis et non de compositis sit. *Quonam* apud *Compraensorium* reperitur exponens: «*Quonam*, id est quo uersu, quamdiu, ut in 78 regula dictum est (cf. supra 2, 31, 4-6; 4, 24, 7; Prisc. 16, 15; 15, 3; Valla, *Eleg.* 2, 56).

[3] Cum de adiectione syllabica saepenumero facta faciendaque sit mentio, arbitror utile de ea in medium descriptionem adducere. Omnis enim quae ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a deffinitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur, ut Cicero in prohemio *De officiis* ait (1, 3), et libro II<sup>o</sup> *De legibus* corroborat (2, 46). Ideo 90 regula, aggredientes dicimus: Syllabica adiectio est litterae uel litterarum, syllabae uel syllabarum in principio uel medio uel fine dictiones additio pulchritudinis, significantiae, interrogationis, discretionis uel necessitatis causa. In principio ut *siquis*, *nequis*, *nunquis*. In medio: *reliigio*, *reliquiae*. In fine: *quisnam*, *quispiam*, *quisputas*, *egomet*, *tutemet*, *suimet*, *sibimet* et *semet*. (2) De huiusmodi syllabicis adiectionibus uide supra, libro I, § *-Met autem, -te, -pte et -ce*, usque ad uersiculum *Nec mecum, tecum, secum*, et auctores ibi allegatos. Et super *allia* pro *alia* et *reliquiae* pro *reliquiae* *Doctrinale* in capitulo XII<sup>o</sup>, in *metaplasmo*, et scribentes ibi, et quod in meo *Doctrinali* scripsi, et etiam supra, eodem libro, regula 45, et super syllabicae adiectionis descriptione Aegidum in 27 capitulo et quod in meo *Catholicon*, in uerbo *quisputas* scripsi, lege (cf. supra 1, 10, 1- 1, 11, 2; 4, 15, 1).

[4] *Quispiam* a *quis* deriuatum simplicisque figurae puram infinitatem significat, ut *aliquis* uariam et diuersam. Est enim *piare* purum facere. Vnde *quispiam homo currit*, id est pure unus, et ita *quispiam* circa infinitatem discretionem facit. (2) Hoc autem *quispiam* femininum *piam* in accusatio casu pro syllabica adiectione recipit. Nam femina facile immutatur. Et cum hoc nomen *piam* uideatur pati et extra suam naturam poni, recte per accusatiuum sumit, qui rem denotat patientem. Papias uero dicit: «*Quispiam*, aliquis modicum». Haec *Catholicon*, *Compraensorium*que confirmant. (3) Festus autem Pompeius ait (Fest. 254): «*Quispiam* significat aliquem, sed unde sequens pars eius coepit usurpari, inueniri non potest». Et hunc Laurentius Vallensis sequi uidetur (*Eleg.* 3, 16), ponens inter *aliquis*, *quisquam*, *quispiam*, *ullusque* conuenientiam, et quod haec a *quidam* differant. Papias autem, *Catholicon* et *Compraensorium* Ciceronem sectantur.

[5] 92. *Quisputas* speciei quoque deriuatiuae figuraeque simplicis significat *aliquis*. Et hic uerbum *putas* syllabica est adiectio. Itaque accentus principalis in *quis* constituendus est, et *putas* in utraque syllaba grauari debet, quia nunquam principalis accentus in adiectione syllabicae poni potest. Et *quisputas* duntaxat interrogatiuum est, et ideo *putas* in secunda persona recipitur. Omnis enim mouet interrogatio eumque praecipue, ad quem sermo dirigitur. (2) Et talis adiectio alicuius excitationis faciendae causa fuit appositae. Nanque fit ad substantiam non ad accidens omnis excitatione, et ob id cum aliis infinitis non iungitur. Haec *Catholicon* et *Compraensorium* asseuerant. (3) De accentu uero in antepenultima collocando Petrus Heliae sic ait in XV<sup>o</sup>, carta secunda, ubi de *puta* docet: «*Put* habet *-a-* correptam ad differentiam uerbi imperatiui. Vnde et plerique dicunt *utputa* compositum esse ab aduerbio *puta*, sed puto quod magis debeat dici syllabica adiectio, uelut in eo, quod est *quisputas*. De quo tamen dubitatio est. Dicunt tamen quidam duas esse partes, *quis* et *putas*, et sub diuersis accentibus pronunciant, ponentes accentum super penultimam syllabam eius, quod est *putas*, existimantes *putas* esse uerbum, ut dicitur in *Euangelio* (*Math.* 18, 1): «*Quisputas maior est in regno caelorum?*». (4) Et infra: «*Sed dic quod quisputas una dicito simplex est, et est putas syllabica adiectio, et totum hoc, scilicet quisputas, sub uno accentu debet proferri, et corripitur penultima. Si tamen in ecclesia tibi legendum fuerit, quae malum habeat usum, ut quisputas pro duabus partibus ponatur, consilium meum est ut usum ecclesiae sequaris, nisi auctoritatis eius sis in ecclesia ut prauum usum emmendare possis. Sic enim iam dictum est inter insanos uideri uelle sapientem, species quaedam furoris est*». (5) Idem tenet *Catholicon*, non modo in dictione *quisputas*, quod *Compraensorium* sequitur, sed et in impedimentis accentus, in capitulo de impedimento usus, Hugonem sequens. Et Aegidius in capitulo 27<sup>o</sup>, in *quisputas*.

[6] 93. *Quisquam* a *quis* deriuatum simplicis figurae et *quam* pro syllabica adiectione recipiens infinitatem incertam, ut *aliquis*, significat. Et conuenientia inter *quisquam*, *aliquis*, *quispiam* et *ullus* et differentia horum cum *quidam* secundum Laurentium Vallensem, supra in hoc libro 30<sup>a</sup> regula retuli. Et plenius in libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Inter quidam autem et aliquis*. Sciendum autem *quiquam* et *aliquis* de multis dici, ut Priscianus in primo minoris, § *Illud*, uersiculo *Construuntur*, ait. Dixi supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Cum autem*, uersiculo *Construuntur*, carta 200. *Quicquam* uero in genere neutro, licet in primitiuo, scilicet *quid*, *-d-* habeat, tamen in deriuatione propter *quam* additam a *-q-* incipientem *-d-* in *-c-*, secundum Priscianum primo maioris et *Catholicon* in *quicquam* profecto mutat. (2) Quod et de *quocquam* dici potest, sed *quocquam*, ut *aliquod*, adiectiuum est, ut *aliquid* uel *quocquam opus feci*, sed *quicquam*, ut *aliquid*, substantiuum. Ideo *quicquam boni*, ut *aliquid recti*, dici debet. Ad hoc uide hic, in 64 76<sup>que</sup> de *quid* et *quod*, et libro 2<sup>o</sup>, § *Cum igitur quicquid ex quid*, regula perstrinxi (cf. supra 4, 11, 4; 2, 10, 5; 3, 13, 2; 4, 22, 5; 4, 24, 4; 2, 10, 4; Prisc. 17, 155; 1, 45; Valla, *Eleg.* 3, 18).

[7] 94. *Quisque* a *quis* deriuatum quoque simplicisque figurae quod pro syllabica recipit adiectione id, quod *omnis* significans. Colligit enim et distribuit, ut *omnis*. *Catholicon* etenim in dicto capitulo *De syllabicis adiectionibus*, § *Scire etiam debes* (3, 52), inter *quisque*, *unusquisque* et *quicumque* faciens differentiam sic ait: «*Quisque* ergo colligit et distribuit, sicut *omnis*, sed *unusquisque* partitur, ut *sit seruus quisque per se*, *quicumque* uero componitur, ut *geminatum*, et hoc faciunt reliqua infinita, quae sunt interrogatiua praeter *cur* et *quare*, ut *qualisqualis*, *ubibui*, *quandoquando*. (2) Hoc ideo contingit, quia infinitas addita infinitati auget confusionem, et sic introducit cum distributione collectionem siue multitudinem. Sed non debet geminari relatiuum in eo casu huius nominis, ubi infinitum a relatiuo secernitur. Nihil est dictu *ego*, *quiqui*, *quiquae*, *quodquod*, ne includi relatio gemina uideatur. At si a relatiuo non secernit infinitum, potest per omnes casus geminari, sicut uidemus in aliis infinitis, et ita possumus dicere *cuiuscuius*, *cuius*, sicut dicimus *qualisqualis*, *qualiquali*. Potest ergo *quisquis* in quolibet casu geminari, sicut *qualisqualis* *quantusquantus*, si usus haberet. Vsus autem non habet, nisi *quisquis*, *qualisqualis*,

*quantusquantus, quicquid, quoque*, et hoc tenemus comuniter, ut sit ibi secundum rationem uis aliqua facienda, nisi ubi infinitum a relatiuo secernitur». (3) Differentiam uero inter *quisque* et *omnis* et coniunctionem *quotus* cum *quisque* Laurentius Vallensis et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo XVI<sup>o</sup>, declaramus, et supra, libro II<sup>o</sup>, § *Deinde Quintiliani sententia*, uersiculo *Item in sequenti capitulo*, et in hoc libro, regula 88 dico. De *quis* quintupliciter syllabico satis sit, deinceps de *qui*, quadrupliciter syllabico dicam (cf. supra 2, 10, 1; 4, 27, 4; Valla, *Eleg* 1, 14).

[8] 95 regula est. *Quidam* a *qui* deriuatum figurae simplicis hanc syllabicam adiectionem *dam* recipit et cum unico *-d-* scribitur, significans *aliquis*. Sed non dicimus nisi de eo quem exprimere uolumus aut non ualemus. *Quiddam* per duo *-d-* aliquid modicum repraesentat. Haec ex *Catholicon Compraensorioque* desumpsit. Ego tamen Laurentium Vallensem, libro III<sup>o</sup>, capitulo XVIII sequens, elegantius teneo *quidam* certum hominem, *aliquis* uero, *quispiam*, *quisquam* et *ullus* ununquemlibet denotare. (2) *Quoddam* uero et *quiddam* cum duplici *-d-* scribi debent, sed inter haec magna est differentia. Nam *quoddam* tanquam adiectiuum naturam habens substantiuum sibi cupit adiungi, ut *quoddam theatrum*, *quoddam scannum*, *quoddam mancipium*. *Quiddam* uero tanquam substantiuum sibi adiectiuum flagitat applicare, ut *quiddam praedarissimum*, *quiddam mirabile*, *quiddam sanctissimum*, ut in eodem XVIII capitulo, in principio, continetur. Supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Cum igitur quicquid*, plenius scribo. (3) Illud autem omitti non debet, ut *quiddam* cum substantiuo, sed in genitiuo posito coniungi possit, ut *quiddam rei occurrit*, pro quaedam res uel quaedam pars rei. (4) Vnde Cicero in 3<sup>o</sup> *Ad Herennium*, in principio, capitulo de memoria (3, 16), sic inquit: «Memoria utrum habeat quiddam artificii, an omnis ab natura proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur». (5) Item cum adiectiuo in genitiuo sed substantiuato in genere neutro coniungit, ut *quiddam sanctissimum*, id est rei sanctissimae, sicut et *hoc regni* et *nihil mali* et *multum uini* dici solet, sed hae locutiones figuratiuae sunt, et per antitosis et sintosis excusantur, ut Petrus Heliae, circa finem primi minoris et post principium libri sequentis docet. De *quodam modo* ad 80 regulam te remitto (cf. supra 2, 10, 4; 4, 24, 10; Valla, *Eleg* 3, 18 4).

[9] 96. *Quicunque* licet secundum *Catholicon* et *Compraensorium* a *qui* et *cum* et *que* componatur, tamen reuera a *qui* deriuatum, figurae simplicis pro syllabica adiectione *cunque* recipit, et syllabatum a *qui* dici debet, ut et idem *Catholicon* in dicto capitulo *De syllabicis adiectionibus*, § *Consuevit dubitari multum*, tenet expresse. *Quicunque* uero, ut *quisquis*, ad uniuersos pertinet. (2) Nam Prisciano teste primo minoris, § *Et praeterea*: «Tam nomina quam aduerbia infinita, si generalem habeant pronuciationem colligentem uniuersitatem numerorum, de quibus loquimur, geminantur apud Latinos uel assumunt *cunque* Vnde geminata dictio uel *cunque* recipiens duorum casuum relatiui, scilicet et antecedentis uim habet, unde duo uerba poni in constructione requirit. Insuper collectionem distributionemque importat. (3) Nam et *quicunque* ab hoc relatiuo *qui* uim relationis trahit, et ita duo uerba, sicut hoc relatiuum *qui*, recte expetit, et a praepositione *cum*, ut sit collectiuum, habet, a *que* uero coniunctione ut distributiuum sit». (4) Salustius in *Catilinario* (58, 2), in Catilinae oratione coniuratis facta, in principio: «Quanta cuiuscunque animo audacia, natura aut moribus est, tantus in bello patere solet», et paulo post. †† (5) Sciendum autem *quicunque* et *quisquis* in eo casu ponenda esse, in quo ponitur relatiuum, explicatione facta, seu in eo casu collocari debere, quem uerbum sequens immediate reposcit, ut *uideo quicunque legit*, id est uideo omnem hominem qui legit. Haec a Prisciano, ubi supra et a *Catholicon*, ubi supra quoque cum quattuor § sequentibus et in V parte, in uerbo *quicunque* et *quisquis*, in quibus uerbis et a *Compraensorio* confirmantur. (6) De his plenius dissero supra, libro II<sup>o</sup>, § *Tempestiuum est*, et uersiculo *Cetera*, et § *Bonas autem latinitates*, ubi dicitur *quocunque* et *quicquid* per *-c-* in prima syllaba secundum Priscianum et Tortellum et non per *-d-* secundum *Catholicon* scribi debere. Et differentia ponitur inter ipsa. Nam *quicquid* substantiuum est, ut *quicquid pium*, *quicquid pietatis*, *quocunque* uero adiectiuum, ut *quocunque dei oraculum*, *quocunque regimen*. Nec a *quicunque quicunque*, sed *quicque* a *quicquid* inuenitur. (7) Inuenio tamen et *quocunque* substantiuatum in neutro genere et cum *id* mutuam de re uniuersa relationem facere, ut apud Caium libro *Institutionum* primo, et transumptiue in *l. I. ff. De his qui sunt sui uel ali. iur.* (D. 1, 6, 1): «Et quocunque per sensum acquiritur id domino requiratur» (cf. supra 4, 22, 3; 2, 8, 1-3; 2, 10, 1; Prisc. 17, 45; 1, 45).

[10] 97. *Quocunque modo* prout possumus, uel bene aut male secundum quod poterimus, exponi potest. Seruius enim in V *Bucolicorum* egloga, ibi (*Buc* 5, 50-51):

«Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra uicissim  
Dicemus»,

super uerbis *quocunque modo* exponit: «Id est prout possumus». Beneuentus uero: «Quasi dicat, id est bene uel male, secundum quod poterimus» Idem in IX *Egloga*, *quacunque*, scilicet ratione uel quia. Dixi supra, libro 2<sup>o</sup>, §

*Cum igitur*, uersiculo *Inter quidam autem*, ibi: *Vbi tandem adiicio*, et cetera. (2) Deinde repperi *quacunque* infinitatem cum generalitate dicere. Apud enim Liuium, libro I *Ab urbe condita*, capitulo III, ut supra, inter illius exempla eodem loco, uersiculo *Idem in eodem capitulo 3<sup>o</sup>*, refero, sic habetur (Liv. 1, 3, 1): «Is Ascanius ubicunque et quacunque matre genitus», et cetera. Et apud eundem in eodem capitulo finali et supra, sub uersiculo *In capitulo XXII* et finali (Liv. 1, 58, 8): «Quacunque dehinc ui possim, profecturum». (3) Et infra: «Vbi eo uentum est, quacunque incedit armata multitudo, pauorem ac tumultum facit». Item apud eundem, libro 2<sup>o</sup>, capitulo 4<sup>o</sup> (Liv. 2, 12, 22), supra, in uersiculo *In capitulo 4<sup>o</sup>*, sic: «Vt de cuicunque mea prima sors fuit. Ceteri, ut cuicunque cecidit, primo quoad te opportunum fortuna dedit suo quisque tempore aderunt». Ex his palam est *quicunque* etiam pro *quiuus* et *omnis* inuenitur. (4) Cicero nanque 3<sup>o</sup> *Ad Herennium*, capitulo de dispositione, uersiculo *Item* (3, 9), sic inquit: «Item ex institutione artis non modo totas causas per ordinem, sed singulas quascunque argumentationis partes disponemus, quemadmodum in libro 2<sup>o</sup> docuimus, expositione rationem, confirmationem, rationis exornationem, complexionem». (5) Item Papinianus in *l. Eum qui insula*, ff. *De iudi.*, *quocunque* pro *omni*, *quouis quolibetue* constituit (D. 5, 1, 43): «Eum qui insulam Capuae fieri stipulatus est certo tempore, eo finito quocunque loco agere posse in id quod interest, constat». Vbi Accursius super uerbo *quocunque loco* exponit: «Scilicet idoneo habita, scilicet ratione domicilii et obligationis, ut § finali secundum Ioannem». Insuper Vlpianus in *l. Etsi iussum*, § I, ff. *De usuf.*, id confirmat (D. 7, 1, 25, 7): «Quod autem diximus ex re fructuarii uel ex operis suis posse acquirere, utrum tunc locum habeat, quotiens iure legati ususfructus sit constitutus, an si per traditionem uel stipulationem uel alium quencunque modum uidendum. Et uera est †Pegasi† sententia quam Iulianus secutus est, omnia fructuario acquiri» (cf. supra 2, 10, 5; 2, 15, 5; 2, 15, 15; 2, 15, 18; 2, 18, 28).

[11] 98. *Quilibet* a *qui* deriuatum simplicis figurae pro syllabica adiectione *libet* asciscens *omnis* significat, quippecum signum utile sit. Petrus enim Hispanus in suis tractatibus, post principium, dicit: «Signa utilia sunt haec: omnis, nullus, *quilibet*, neuter et similia». (2) Deinde Tullius libro II<sup>o</sup> *Ad Herennium*, § *Approbatio est*, uersiculo *Contra rumores* (2, 12), circa finem tractatus constitutionis coniecturalis, ait: «Quiuis homo possit quamuis turpem de quolibet rumorem proferre et confictam fabulam dissipare». Idem in eodem libro, capitulo sequenti, quod incipit *Cum uoluntas*, sic inquit (3, 3): «Deinde percontatione, scirent ne aduersarii id scriptum fuisse in lege aut testamento aut in stipulatione aut quorum scripto, quod ad eam rem pertinebit». (3) Enimuero *quilibet* quandoque pro *uterque* reperitur, unde Cicero, libro III<sup>o</sup> ad eundem *Herennium*, § *Deliberationes*, scilicet post tractatus principium, in uersiculo *Vtilitas* (3, 5), sic ait: «Vtilitas in duas partes in ciuili consultatione diuiditur: tutam, honestam. Tuta est quae instantis aut consequentis periculi conficit uitationem qualibet ratione. Haec distribuitur in uim et dolum, quorum aut alterum separatim aut utrunque sumemus coniuncte». (4) Verumtamen in eodem libro et capitulo, uersiculo *Sin fortitudinis retinendae causa*, uniuersaliter pro natura sua Tullius accipit (*Her.* 3, 24): «Quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis et his rebus quas iusticia colere cogit, adire periculum et quemlibet suscipere laborem». Idem in eodem capitulo II<sup>o</sup> ubi de causa demonstratiua docetur, uersiculo *In uituperatione*, dicit: «In uituperatione si erunt haec corporis commoda, male his usum dicemus, quae casu et natura tanquam *quilibet* gladiator habuerint. Si non erunt, praeter formam omnia ipsius culpa et intemperantia non fuisse dicemus». Idem in quarti prohemio, uersiculo *Si concederem aliena* (*Her.* 4, 7), ibi: «Liceret enim ut eligerent et probarent quemlibet, qui sibi in omnes res suppeditaret exempla uel poetam uel oratorem, cuius auctoritate niterentur». (5) Verumenimvero licet in *Catholicon*, Laurentio Vallensi et *Alfonsina* nihil reppererim, tamen in *Compraensorio* sic inueni: «*Quilibet*, *quaelibet*, *quodlibet*, id est quicunque, *libet* syllabica est adiectione». Ego tamen, prout dixi, teneo quod *quilibet*, *omnis* et *quisque* proprie significet, uelut et antedicti Ciceronis textus alique demonstrant, sed improprie *quilibet*, ut *quisque* secundum Priscianum primo minoris, pro *quicunque* stare posset, licet a huc *quilibet* pro *quicunque* non recolam me legisse, sed econtrarius, *quicunque* pro *quilibet* et *quisque* legerim saepenumero, ut et in 97 regula tractum est. (6) Illud autem praetermitti non debet, quod apud Nicolaum Perottum in capitulo *De epistulis componendis*, uersiculo *Omnis distributiua dictio*, carta 118 (fol. p4r.), scribitur: «*Omnis* distributiua dictio est, et complectitur, quicquid substantiuo inest, cui coniungitur, uerbi gratia *omnes homines*, id est quicquid hominum est, sed *nullus homo* contrariam orationem facit. *Quilibet* uero non distributiua dictio est, sed particularis. (7) Significat enim unum ex multis indeterminate, ut si multi sint hic mecum pugnaturi, dicam *perdeat quilibet et meum certet*, hoc est pendeat unus quicunque ille sit. Quintilianus (1, 12, 7): "Quarum nos una res quaelibet nihil intermitentes fatigaret adeo facilius et multa facere quam dici". Hieronimus (*Lev.* 7, 33): "Ad unum



quemlibet filiorum Aaron". (8) Haec Nicolaus Perottus, quae praeclara et pernotanda, sed antedicta non subuertunt, quippecum quilibet et omnibus antedictis modis inueniatur poni. Ideoque dicta omnia sustineri possunt.

[12] 99. *Quiuis* quoque a *qui* profluens simplicis figurae, *uis* pro syllabica adiectione capit, *omnis quilibetque* significans. Tullius enim II<sup>o</sup> dicit *Ad Herennium*, in § *Argumentum* (2, 8): «Nunquid aliquo sensu perceptum sit aspectu, auditu, tactu, odore, gustu. Nam quiuis horum sensus potest constare suspitionem». Idem in eodem, in § *Approbatio*, uersiculo *Contra rumores* (2, 12): «Ideo quod quiuis homo possit quamuis turpem de quolibet rumore proferre». Idem in eodem in expositionis uiciis, in ultimo (2, 34): «Auaricia porro hominem ad quoduis maleficium impellit». Idem in III<sup>o</sup>, in tractatu de memoria, ubi de locis agit, uersiculo *Sed quanquam* (3, 32): «Facile est enim qui paulo plura nouerit, quosuis multos et idoneos locos inuenire». Et infra: «Cogitatio enim quamuis regionem potest amplecti». Idem in quarti libri prohemio, § *At hoc ipsum*, uersiculo *Sin autem istud artificiosum* (4, 1): «Propterea quod id facile faciat quiuis mediocriter litteratus». Idem in eodem libro, in attenuato figurae genere (4, 14): «Quo uel facile cuiuis rubores eiicere posset». (2) Licet autem *quiuis* nec apud *Catholicon* nec Laurentium Vallensem nec *Alfonsina* compererim, tamen in *Compraensorio* scribitur: «*Quiuis*, quilibet, quicumque placet». Sed de *quiuis*, quod de *quolibet* proxime dictum est, dici potest. Nec praetermitti debet *quamuis* pro *licet* et *quantumuis* inueniri.

### **XXIX. De compositis a quis uel qui.**

[1] De syllabatis a *quis* uel *qui* satis exposui, tempus suadet ut de compositis a *quis* dicam. Haec autem secundum 100 regulam septem sunt: *aliquis*, *ecquis*, *nequis*, *nunquis*, *quisquis*, *siquis*, *unusquisque*, supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Tempestium est*, de his septem compositis et nouem syllabatis aliisque similibus exarauit. Primum igitur compositum *aliquis* de *alius* et *quis* componitur, de quo dic ut in 51 regula supradixi. (2) Hic solum adiicio quod inter *aliquid* et *aliquod* est differentia. *Aliquid* enim, ut *quid*, *quicquid* et *quicque*, substantiuum est. Et *aliquod*, ut *quod*, *quocque*, *quocunque*, est adiectiuum, ut *aliquid egi*, non *aliquod egi*, et *aliquid mali*, non *aliquod mali*, sed *aliquod malum est* et *aliquid infortunii*, non *aliquod infortunii*, sed *aliquod infortunium imminet*. Vide supra, in 96 regula et locis ibi allegatis, praesertim in meo *Elegantiarum breuiarium*, post Laurentium Vallensem, libro III<sup>o</sup>, capitulo XVIII<sup>o</sup>.

[2] 101 regula est. *Ecquis* de *en* pro *ecce*, quae aduerbium demonstrandi sunt praesentiam celeritatemque notantia, et *quis* componatur. Et *-n-* propter *-q-* sequentis componentis in *-c-* mutetur. (2) Sed *en* cum aliis non componitur infinitis, nisi forsitan *ecubi*, ab *en* et *ubi*, *-n-* in *-c-* mutata, quasi *ecce ubi*, quod uidetur similiter posse dici. Dicimus enim quod infinitas materiae magis quam accidentis excitat. Anima nanque plus in materia quam forma laborat appendenda. Et ideo interrogatiuum substantiae magis hoc aduerbium *en* recipit, quam interrogatiuum accidentis. Vbi similiter *en* potest recipere aduerbium, nanque locale magis est aliis infinitum. Iccirco plures quam alia aduerbia differentias habuit. Cum igitur anima in tantae infinitatis apprehensione laboret, aduerbium locale *en* recipit, ut *ecquo*, *ecqua*, *ecubi*, quia hoc aduerbium *en* uehementer animam excitat, et magis huic interrogatiuo *quis* applicatur, eo quod infinitate uehementiorem notet, nam qui nomen articulare est, non autem *quis*. (3) Vnde *ecquis ecce quis* significet, et *ecqua* in nominatiuo singulari pro genere feminino et pro neutro in nominatiuo accusatiuoque pluralibus inuenitur, ut et in aliis quattuor est, ut *aliquis aliqua*, *nequis nequa*, *nunquis nunqua*, *siquis siqua*. Supra sub dicto § *Tempestium est*, uersiculo *Sciendum autem*, plene dixi. (4) De *ecquis* in *Catholicon*, *Compraensorioque* reperies, et de mutatione *-ae* diphtongos in *-a* correpta in his quinque, in 3<sup>a</sup> parte *Catholicon*, in capitulo *De syllabatis adiectionibus*, § I (3, 52), ubi, in § *Scire*, de compositione *en* cum *quis* aduerbiisque localibus explicat, sub tractatu de figura nominis (cf. supra 2, 8, 2).

[3] 102. *Nequis* ex *ne* et *quis* componi constat, et secundum proxime praelibata *nequis*, *nequa*, *nequod* uel *nequid* dicitur, et pluraliter nominatiuo *nequi*, *nequae*, *nequae*, accusatiuo *nequos*, *nequas*, *nequa*, et *nequis* non *aliquis* denotat. Et quandoque duae partes sunt et *ne* pro *ut* et *non* et *quis* pro *aliquis* exponitur. *Nequid* pro *ne* in *aliquo* primo *Ad Herennium*, sub § *Exordiorum duo sunt genera*, uersiculo *Si genus causae dubium habebimus*, posuit Cicero (1, 6): «Si genus causae dubium habebimus, a beniuolentia principium constituemus, nequid nobis illa turpitudinis pars obesse possit», ubi *nequid* una pars composita uel duae simplices esse possunt. (2) *Quid* autem pro *in quo* uel *in aliquo* stare possit. Supra, multis in locis dixi, uide in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 3<sup>o</sup>, capitulo XVIII, ibi: «Hoc quoque addamus *quid* pro *in quo*

usurpari solere. Cicero in *Laelio* (*De am.* 30): "Quid enim indigens Africanus mei?" Et de compositione *nequis* et mutatione *-ae* in *-a* correptam, uide *Catholicon* in *nequis*. (3) *Nequo* aduerbium pro *ne aliquo*, id est ne ad aliquem locum, et *nequa* aduerbium pro *ne aliqua*, id est ne per aliquem locum, accentum acutum in ultima habere debent. *Nequaquam*, nullo modo, non ita. *Nequisquam* ex *ne* et *quisquam* uenit, id est non quisquam, et nusquam simplicem negationem notant, ideo solum unum uerbum reposcunt, ut *nequaquam ueniam*, ut et *alicubi*, sed *neubi* non simplicem, qua de re uerbum duplex exigit, ut *uolo neubi mihi fias obuius*, id est ne alicubi, ut *sicubi* pro *si alicubi*. (4) *Sicunde* pro *si alicunde*, ut de his et negationis usu multa post Laurentium Vallensem in meo *Elegantiarum breuiario*, libro III<sup>o</sup>, capitulo XXXI<sup>o</sup>, et supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Item in capitulo sequenti de negationis usu*, usque ad § *Ego quoque in capitulo sequenti*, disserui (cf. supra 2, 41, 1; Valla, *Eleg.* 3, 16; 3, 27). Item et *nequo*, id est ne aliquo modo, et *nequa*, scilicet uia, ratione, parte uel regione quandoque accipitur. *Nequicquam* uero ex *ne* et *quicquam* compositum secundum Seruium Festumque Pompeium *frustra* significat (Fest. 164). Virgilius in VII<sup>o</sup> (*Aen.* 7, 373):

«His ubi nequicquam dictis experta Latinum

Contra stare uidet».

(5) Itidem apud Salustium in *Catilinario* (52, 29), in Catonis oratione, ante finem, pro *frustra* reperitur: «Non uotis nec supplicii mulieribus auxilia deorum parantur uigilando, agendo, bene consulendo, omnia pro semper cedunt, ubi secordiae atque ignauiae te tradideris, nequicquam deos implores irati infestique sunt». Et infra, in Catilinae oratione coniuratis facta: «Quem neque gloriam neque pericula excitant nequiciam exhortae, et inde nequicia uicium erat quo homo nihil rei atque frugis bonae essent, sine nullius momenti putarentur». (6) Deinde secundum Seruium *non* importat, Virgilius (*Georg.* 1, 192):

«Nequicquam pinguis paleae tenet area culmos»,

id est non pinguis, et III<sup>o</sup> *Aeneidos* (2, 546):

«Ex summo clipei nequicquam umbone pependit».

Et secundum eundem *nequicquam* non sine causa dicit. Enimuero secundum ipsum Festum Pompeium (Fest. 164):

«"Nequam aurum est auris, quod uis uehementius ambit",

hoc uersus Lucilii significare uidetur (cf. Lucil. *Sat. incog.* V. 1.220) *nequam* esse aurum, cum auris inciditur, uel etiam cupiditatem pecuniae uoluit significare». *Nequa*, qui ne tanti quidem est, quam quod habetur minimi. (7) Insuper A. Gellius scite sic inquit (6, 11): «*Nequiciam* plerumque nunc dici audio pro solertia astutiaque, sed ueterum hominum auctoritas, qui proprie atque integre locuti sunt, *nequam* dixerunt hominem nihil rei atque frugis bonae». (8) Verumenimvero secundum *Catholicon* *Compraensoriumque nequa* a *nequeo*, *-is*, omnis generis et indeclinabile, *idem*, *quod malus est, sed malus, ut dicunt, naturaliter, nequam uero, qui se a sceleribus continere nequit*. Item *nequam luxuriosus est, cum sit incontinens*. Et comparatur *nequior, nequissimus*, et inde *nequiter, nequis, nequissime* aduerbia. Et haec *nequicia, -ae*, id est malicia et luxuria. Vnde quidam *nequicia est, quae te non sinit esse senem*. (9) Ego tamen puto *nequiciam* secundum Festum Pompeium Aulumque Gellium uicium uiolentiae ex cupiditate nimia uel ineptitudinis et incommoditatis dicere, quod proxime dicta declarant, aut secundum Ciceronem scelus prauitatemque notare. Hic enim III<sup>o</sup> *Ad Herennium*, capitulo 2<sup>o</sup>, scilicet de demonstratiua causa, § *Ab nostra*, uersiculo *Si uituperabimus* (3, 11-12), sic eleganter ait: «Vtile putamus esse ab omnibus unicam maliciam atque nequiciam cognosci». Et paulo post, in § *Contraria uituperatia* «Quoniam norint pauca de nequicia eius dicturos». (10) Licet *nequea, nequis* primam corripit, tamen *nequam* inde ueniens, primam allongat, ut Aegidius in libro *De accentu*, capitulo XXXII, dicit expresse et quod *nequeo* in prima corripitur, a *Doctrinali* in X<sup>o</sup> capitulo et a *Catholicon* in *nequeo* confirmatur. Et *Doctrinale nequaquam, nequa, nequanque* producit. Tandem et *nequis* hominem et *nequid* cum id de *nequis, nequa*, in prima producit, et *nequis, nequit* cum *-t*, ut *nequeo*, unde descendunt, corripuntur in prima.

[4] 103. *Nunquis* ex *num* et *quis* componitur, sed *-m-* mutatur in *-n-*, cum enim praecedens componens in *-m-* finitur, sequens autem a *-c-*, *-d-*, *-q-* uel *-t-* inchoatur, *-m-* in *-n-* commutatur, ut *nuncubi*, de *num* et *ubi*, *-c-* propter absonum fugiendum interposita, *quendam, eorundem, nunquis, identidem*, de *idem* et *idem*, *-t-* interposita, et *-m-* in *-n-*, propter *-t-* interposita, commutata. *Num* uero cum *qui* non componitur, quia minus quam *quis* se ad infinitatem habet, nec eo sic frequenter, ut *quis* in interrogatis omnibus utimur. (2) *Quis* autem maximam infinitatem et confusionem dicit. *Num* uero ad compositionem *quis* uel aduerbii localis uenit, ut *nunquis, nuncubi, nusquam*. Sed cum aliis non componitur, eo quod *num* quaerit de inherencia substantiae, ut *num fecisti hoc?* Omnis autem inherencia locus quidam respectu substantiae, de qua fit sermo, dicitur. Qua de re cum interrogatio substantiae

lociue componitur. De his per *Catholicon* in dicto capitulo *De syllabicis adiectionibus*, § *Scire etiam debes*, et in *nunquis*. Et de mutatione *-m-* in *-n-* per Priscianum primo maioris et per *Catholicon* in prima parte sui operis. (3) Deinde est sciendum *nunquis*, *nunquid*, *aliquis* denotare et interrogatiuum et infinitiuum, sed non relatiuum esse. Et *nunqua* in genere feminino numeri singularis et nominatiui casus, et in neutro numeri pluralis nominatiui et accusatiui facere. De *num* et *nunquid* infra, regula 130, disseram (cf. infra 4, 32, 3; Prisc. 1, 38).

[5] 104. *Quisquis* ex *quis* geminato componitur, secundum artem per omnes casus declinare potest, licet usus *quisquis*, *quicquid*, *quoquo*, duntaxat habet. Nec ars geminationem patitur, ubi infinitas a relatione secernitur, ut *ego quiqui*, *quaequae* uel *quocquod*, ut plene supra, hic regula 94, dixi. Et de uniuersitate ab eo denotata uique relatiui antecedentisque et de *quicquid*, ut *quicquam* per *-c-* et non per *-d-* scribendo, et de inter *quicquid* et *quocunque* etiam per *-d-* in prima syllaba exarando differentia, et de declinatione eius secudum Donatum *Catholiconque*, supra, libro II<sup>o</sup>, § *Bonas autem latinitates*, et hic regula 96, sat copiose scripsi (cf. supra 2, 10; 4, 28, 6; 4, 28, 9).

[6] 105. *Siquis* ex *si* et *quis* componitur, et *siqua*, *siquod* uel *siquid* in nominatio facit, et *siqua* in nominatio accusatioque pluralibus neutri generis. Et *si aliquis* significat, et duntaxat infinite reperitur, et constructionem suspensiuam facit, ideo aliud uerbum principale exigit. Et *siquo* aduerbialiter positum ad nominis differentiam postrema acuit, ut in *illó*, *eó*, *alió*, *nequó* similibusque habetur, ut supra, libro I<sup>o</sup>, § *Figurae*, uersiculo *Nec praetermittendum est*, exposui. De *quominus* autem et *siquominus*, supra, hic 81 regula, plene dico (cf. supra 1, 5, 1; 4, 24, 11).

[7] 106. *Vnusquisque* de *unus* et *quis* et *que* syllabica adiectione, seu de *unus* et *quisque* componitur. Et partitionem quandam significat. Est enim *quisque* per se, nam *quisque* colligit distribuitque, sicut *omnis*, sed *unusquisque* partitur, ut sensus sit *quisque per se*, *quicunque* uero et *quisquis* uim relatiui et antecedentis cum uniuersi significatione habent, ut *quicunque* uel *quisquis bene uixerit, saluus erit*, id est omnis qui bene uixerit, saluabitur. (2) Deinde omnia septem a *quis* composita reliquis huius nominis *quis*, tam in singulari quam plurali, terminationibus adiunguntur, *unusquisque* dempto, quod propter nomen *unus* plurale non habet, tamen *unaequaeque litterae*, *unaquaeque arma* dici posset, sed secundum usum *quisquis* etiam excipitur, ut supra, proxime in 104 regula dictum est. (3) Nec *qui* in ablatiuo singulari nec *quis* in datiuo ablatiuoque pluralibus ulla ipsius *quis* uel *qui* compositiones uel syllabicas adiectiones admittunt, id quod ex simplicis debilitate contingit, quippe cum ablatiuus *qui* in rarissimo usu sit. Itidem *quis* datiuus ablatiuusque pluralis, impedit enim compositorum naturam saepe simplicium debilitas. Haec a *Catholicon* in dicto capitulo *De syllabicis adiectionibus*, § *Scire* et § *Septem*, comprobantur, et supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Bonas autem latinitates*, uersiculo *Catholicon uera*, et hic in 94 regula super *quisque* dixi. (4) Nec praetermittendum est ut *unusquisque*, *singuli quique* et *singularis quisque* dici possit, non autem *singularissimus*, quod nullibi reperitur, sicut nec ex *unicus unicior*, *unicissimus* habetur. *Vnusquisque* uero superlatiuum non patitur, propterea quod *unus* superlatiuum quandam uim naturamque obtineat, magisque *unusquisque bonus* quam *unusquisque optimus* proferendum sit, ut in meo *Elegantiarum Breuiario*, libro I<sup>o</sup>, capitulo XVI<sup>o</sup>, post Laurentium Vallensem, dixi, et supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Item in sequenti capitulo*, et uersiculo *Vnusquisque*. (5) In libro uero 3<sup>o</sup> ipsius *Breuiarii*, capitulo LXIII<sup>o</sup>, et supra, libro 2<sup>o</sup>, prope finem, uersiculo *De quisque et uterque cum uerbo aut participio*, sic aio: «*Trundines, uere ineunte, redeunt in suum pristinum unaquaeque nidum migrantes*, muta illud *unaquaeque* sic: *in suum pristinum nidum unaquaeque immigrantes*, aut sic: *unaquaeque in pristinum nidum immigrantes*, iam non erit Latinum». Reliqua uide ibi. (6) Quod autem *unusquisque omnem* et *quenque* per se partiendo notet, declarat Cicero 2<sup>o</sup> *Ad Herennium*, in transitu ad argumentatio, id est perfectissimum, ibi: «In unoquoque genere causae»; et ibi: «Quod in unoquoque loco dixerimus»; et ibi: «Tum uniuscuiusque argumentationis distributioenem». Et III<sup>o</sup> *Ad Herennium*, capitulo I<sup>o</sup>, § *Rectum*, uersiculo *Iusticia*, sic inquit (3, 2): «*Iusticia est aequitas ius unicuique tribuens pro dignitate cuiusque*», ubi *cuiusque* pro *cuiuslibet* ponitur. (7) Idem in libro IIII, in graui figura, facit (4, 8): «In graui consumet oratio figura, si quae cuiusque rei poterunt ornatissima uerba reperiri siue propriae siue translata, ea unanquanque in rem accomodabuntur». (8) De *unicuique* simile, in *I. Iusticia*, in principio, et § I, *ff. De iusti. et iur.*, Vlpianus ait: «*Iusticia est constans et perpetua uoluntas ius suum unicuique tribuens*» (cf. supra 4, 29, 5; 2, 10, 2; 4, 28, 7; 2, 11, 2; 2, 11, 4; 2, 46, 1; Valla, *Eleg* 1, 14; 3, 60).

[8] Iuris praecepta sunt haec: honeste uiuere, alterum non laedere, ius suum unicuique tribuere. Idem Cicero ad eundem, libro V<sup>o</sup>, colore sententiarum secundo, circa finem ait: «*Nimium, Quirites, animis estis simplicibus et mansuetis, nimium creditis unicuique. Existimatis ununquenque eniti, ut perficiat quae uobis pollicitus sit*». (2) Salustius in *Catilinario* praedicta confirmat, quae supra, inter eius

exempla, retuli sub uersiculo *Ni uirtus*, ibi (20, 1): «Ad hoc maledictis increpabat omnes bonos suorum ununquaque deliberans, nominans laudare, admonebat alium egestatis, alium suae cupiditatis». (3) Item Hieronymus in *Biblia*, primo *Geneseos* (1, 27), id reddit apertius: «Habens ununquocque sementem secundum speciem suam», supra, inter huius exempla, § *In principio uero Genesis sic habetur*, ibi: *Et habens ununquocque*, dixi. Insuper Gregorius in *Moralibus*, XX<sup>o</sup> libro, parte IIII<sup>a</sup>, capitulo XI (20, 5), transumptiue in *C. Disciplina*, XIV di. (grat. *Decr.* 1, 44), supra, inter sacrorum exempla, uersiculo *Idem in Moralibus*: «Quatinus unusquisque qui sanandis uulneribus praeest, in uino morsum distinctionis adhibeat, in deo molliciem pietatis». (4) Animaduertendum autem *ununquaque* per *-n-* in secunda tertiaque syllaba, et *ununquocque* in secunda scribendum esse, cum *-m-* propter *-q-* sequens mutetur in *-n-*, ut hic, in 103 regula dictum est. Et quod *ununquocque* in fine penultima syllabae per *-c-* debet scribi, nam *-d-* propter *-q-* sequens, ut in *quicquam*, in *-c-* mutatur, eo quod inter *-c-* et *-q-* magna sit in sono conuenientia, supra in hoc libro, regula XCVI, in fine, dixi (cf. supra 3, 12, 3; 3, 28, 1; 3, 31, 10; 4, 29, 4; 4, 28, 9).

[9] 107. Inter *unusquisque* et *uterque* longa est differentia, quod *uterque* de duobus, *unusquisque* de multis et quibusuis dicatur. Tullius enim libro IIII<sup>o</sup> *Ad Herennium*, in *Disiunctio*, XXIII uerborum exornatione (5, 27), sic inquit: «Disiunctio est cum eorum de quibus dicemus aut utrunque aut ununquocque certo concluditur uerbo, sic: "Populus Romanus Numantiam deleuit, Carthaginem sustulit, Corinthum disiecit, Fregellas euertit". (2) Item: "Nihil Numantinis uires corporis auxiliatae sunt, nihil Carthaginensibus scientia rei militaris adiumento fuit, nihil Corinthiis erudita calliditas praesidii tulit, nihil Fregellianis morum et sermonum societas opitulata est". Item: "Formae dignitas aut morbo oflorescit aut uetustate extinguitur". Sic utranque in superiori exemplo unanquamque rem certe uerbo concludi uidemus».

[10] 108. *Vnusquisque* non nunquam de tribus solummodo dicitur. Tullius enim V<sup>o</sup> *Ad Herennium* eundem in *Sermocinatio* (6, 43), ubi tres loquentes, ut miles superbus et quidam sapiens huiusque uxor, pro dignitate introducuntur duntaxat et decore. Tandem ad hos tres se referens inquit hoc pacto: «Puto in hoc exemplo datos unicuique esse sermones ad dignitatem accommodatos, id quod oportet in hoc genere obseruari».